

M I S S A E
P R O P R I A E
S A N C T O R U M

Ad usum FRATRUM MINORUM
SANCTI FRANCISCI
CONVENTUALIUM,
MONIALIUM SANCTÆ CLARÆ,
ac Tertii Ordinis utriusque sexus,

A Sacra Rituum Congregatione noviter recognitæ & approbatæ,

Jussu Reverendissimi Patris Magistri

JOANNIS BAPTISTÆ COLOMBINI

Totius præfati Ordinis Ministri Generalis editæ.



V E N E T I I S, M D C C L X I I I.

Ex Typographia Balleoniana.

190.944

190944

BENEDICTUS PAPA XIV.

Ad perpetuam rei memoriam.



XVIII. 47032

BENEDICTUS PAPA XIV.

Ad perpetuam rei memoriam.



Ræcipuum sacrosancti Apostolatus Nobis planè immerentibus per divinæ bonitatis abundantiam demandati munus illud inter gravissima alia onera esse reputantes, ut, quem Religionis sensum natura nobis indidit, ut laudemus, celebremus, & glorificemus jugiter Dominum omnium conditorem, propter quod rationales facti sumus, & à Brutis differimus, juxta ritum Ecclesiasticæ traditionis psalmodiis precibusque consuetis Divinum & Apostolicum præceptum semper orandi, implentes, ritè studiosèque alere, fovere, & augere Apostolica auctoritate ac sollicitudine curemus, in id grato libentique animo studium, operam, curasque Nostras ubicumque ad divini honoris incrementum conducere intelligimus, collocare summoperè satagimus. Exponi siquidem Nobis nuper fecit dilectus filius Joannes Baptista Minucci Minister Generalis Ordinis Fratrum Minorum Sancti Francisci Conventualium nuncupatorum, qui anno proximè elapso in Capitulo Generali ejusdem Ordinis in Conventu Sanctorum Duodecim Apostolorum de Urbe Nobis præsentibus habito electus fuit, quòd sui Antecessores Generales Ministri, aliique Fratres divinum cultum, & Ordinis hujusmodi splendorem zelantes, cum animadvertissent Breviarium, Missale, Kalendarium, & Martyrologium, quibus utuntur dicti Ordinis Fratres, ac Moniales sub Regula S. Clare, multis indigere emendationibus, correctionibus, permutationibus, & additionibus, ad Congregationem Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium sacris Ritibus præpositorum pro emendationibus, correctionibus, permutationibus, additionibusque hujusmodi, ea, qua decebat, filiali erga Apostolicam Sedem obedientia, regulari observantia, & accurata diligentia faciendis recursum habuerunt, prout uberius continetur in ejusdem Congregationis Decreto, tenoris qui sequitur: *Ordinis Minorum Conventualium Sancti Francisci. Cum Sacra Rituum Congregatio die X. Aprilis anni MDCCXXXIV. humillimis precibus Reverendiss. Patris Magistri Vincentii de Comitibus Ordinis Minorum S. Francisci Conventualium Ministri, & P. Magistri Salvatoris Salandari Procuratoris, Generalium, pro facultate reformandi Breviarium & Missale tra-* his, *que ejusdem Ordinis sunt propria & peculiaria, porrectis, & in eadem Sacra Congregatione per Eminentissimum & Reverendissimum D. Ludovicum Cardinalem Belluga Ponentem relatis, censuerit rescribendum: Dilata, & exquiratur votum Reverendiss. Patris Gambarucci, etiam super his, que Pater Generalis proponere intendit. Ac deinde sub die XXII. Januarii MDCCXXXV. audito voto prædicti Reverendissimi Gambarucci Archiepiscopi Amasen. per eum dem Eminentiss. Dominum Cardinalem Ponentem relato, eidem Eminentissimo commiserit, ut opera ejusdem Reverendiss. Archiepiscopi corrigeret Breviarium & Missale prædicta, ac postea referret: Supplicationibus insuper P. Magistri Joannis Baptiste Minucci Procuratoris Generalis prædicti Ordinis benigne annuens, sub die XII. Martii ejusdem anni MDCCXXXV. eidem Eminentiss. Domino Cardinali Ponenti tribuerit plenam & omnimodam ejusdem Sacre Congregationis facultatem & auctoritatem, qua idem Eminentissimus posset liberè in iisdem Breviario, Missali, & Martyrologio ad usum prædicti Ordinis emendare, corrigere, ac permutare quidquid emendatione, ac permutatione indigere dijudicaret: ac præterea cum eadem Sacra Rituum Congregatio sub die V. Septembris MDCCXXXIX. ad enixas preces Reverendiss. P. Magistri Felicis Angli Sideri dicti Ordinis Vicarii Apostolici, & P. Magistri Joannis Baptiste Minucci Procuratoris Generalium Kalendarium emendatum, & reformatum juxta votum R. P. D. Ludovici de Valentibus Fidei Promotoris, cujus censura & examini idem Eminentissimus, attento prædicti Reverendissimi Archiepiscopi obitu, universum ejusmodi reformationis opus subiectum voluit, eadem Eminentissimo referente approbaverit, atque ab omnibus tam ejusdem Religionis Minorum Conventualium, ac S. Clare, necnon Tertii Ordinis utriusque sexus S. Francisci, quæ iam à cæteris eorum Breviario utentibus, qui ad horas Canonicas tenentur, servandam esse mandaverit: cum modo pro parte prædictorum Patrum Vicarii Apostolici, & Procuratoris Generalium eidem Sacra Congregationi demissimè supplicatum fuerit, ut omnia & singula, quæ in prædictis Breviario & Missali longo magnoque labore emendata, correctæ, & permutata sunt, benigne approbare dignaretur, iisque in Divinis persolvendis officiis, tam in Choro, quam extra illum, cæteris antiquioribus dimissis, in toto prædicto Ordine ubique locorum, uti omnino mandaret, cum omnibus clausulis necessariis & opportunis, prout in similibus fieri consuevit. Eadem Sacra Rituum Congregatio, referente eodem Eminentissimo Domino Cardinali Belluga Ponente hujusmodi precibus inclinata, attentis tam Desinatorii Generalis ejusdem Ordinis, apud Basilicam SS. Duodecim Apostolorum de Urbe die XII. Martii MDCCXXXVII. congregati, decreto, quo dicti Breviarii reformatio*

ejusdemque, postquam reformatum foret, impressio Superioris Generalis diligentia ac sollicitudini fuit commissa, quam etiam ejusdem Breviarii jam reformati approbatione à Patribus Magistris Innocentio Balestracci Sanctæ Romanæ ac universalis Inquisitionis, & Carolo Antonio Tedeschi Sacra hujus Rituum Congregationis Consultoribus pro parte dictæ eorum Religionis Revisoribus & Censoribus deputatis in scriptis facta; quæ duo Decretum videlicet Definitorii Generalis, & Theologorum Ordinis approbatio, eidem Eminentissimo Ponenti fuerunt exhibita in forma authentica, attento insuper altero voto prædicti R. P. D. Ludovici de Valentibus Fidei Promotoris per eundem Eminentissimum Pontentem in eadem Sacra Congregatione relato; Breviarium & Missale prædicta ad usum Fratrum Minorum Sancti Francisci Conventualium, Monialium S. Clare, ac Tertii Ordinis utriusque sexus sic reformatæ, cum omnibus, & singulis emendationibus, additionibus, correctionibus, & permutationibus approbavit, ac imprimi posse censuit; atque ab omnibus tam ejusdem Religionis Minorum Conventualium, quam S. Clare, ac Tertii Ordinis utriusque sexus S. Francisci, qui ad horas Canonicas tenentur in quibuscumque Provinciis, Conventibus, Monasteriis, & locis, tam citra, quam ultra Montes, & Maria, universoque in Orbis d. gentibus, postquam eorum exemplaria Typis impressa in singulis respectivè locis evulgata fuerint, antiquis Breviario & Missali in iis, quæ ab hac novissima eorumdem recognitione, seu reformatione sunt aliena, in perpetuum suppressis & abolitis, eorumque usu penitus interdicto, tam in choro, quam extra illum adhiberi, & observari præcepit sub pœnis in jure Canonico, & Constitutionibus S. Pii V. aliorumque Summorum Pontificum contentis, si SS. Domino Nostro visum fuerit. Die XXI. Januarii MDCCXXXI. Factaque deinde de prædictis SS. Domino Nostro per me Secretarium relatione, Sanctitas Sua benignè annuit. Die XXVII. ejusdem mensis, & anni MDCCXXXI. Ita reperitur in Registris Decretorum Congregationis Sacrorum Rituum. In quorum fidem &c. T. Patriarcha Jerosolymitanus Secretarius. **Loco ✠ Sigilli.** Quoniam autem idem Joannes Baptista Minister Generalis Nobis humiliter supplicari fecit, ut præinsertum Decretum quo firmitus subsistat, & servetur exactius, non solum quoad omnes partes Apostolicæ Nostræ confirmationis robore communire, sed nonnulla etiam Apostolica auctoritate, ut infra, præscribere de benignitate Apostolica dignaremur: Nos igitur, qui Promotoris Fidei, dum in minoribus essemus, munere perfuncti, quantum interfit, ut omnes Ecclesiastici tam Sæculares, quam Regulares Breviariis, Missalibus, Gradualibus, Antiphonariis, Martyrologiis, & Kalendaris accuratè emendatis & correctis utantur, probè novimus, eundem Ministrum Generalem specialibus favoribus & gratiis prosequi volentes, & à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendi, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, præinsertum Decretum cum omnibus, & singulis in eo contentis Auctoritate Apostolica tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus. Præterea omnibus, & singulis dicti Ordinis Superioribus, Fratribus, ac Monialibus sub Regula Sanctæ Clare Ministro Generali prædicto pro tempore existenti subjectis, qui, & quæ ad horas Canonicas sive in choro, sive extra illum recitandas tenentur in quibuscumque Provinciis, Conventibus, Monasteriis, & locis tam citra, quam ultra Montes, & Maria, universoque in Orbe degentibus, ut, postquam Breviarium, Missale, Graduale, Antiphonarium, Martyrologium, & Kalendarium hujusmodi, ut præmittitur, emendata, correctæ, & aucta in lucem ex Venetis Balleonianis typis sub accuratiori nonnullorum primodicti Ordinis Fratrum doctrinis, & rebus omnibus ad eorumdem Ordinem spectantibus insignium sedulitate ac præsentia impressa prodierint, eadem, scilicet Breviarium, Missale, Graduale, Antiphonarium, Martyrologium, & Kalendarium omnino (antiquis Breviario, Missali, Graduali, Antiphonario, Martyrologio, & Kalendario in iis, quæ ab hac novissima eorumdem omnium recognitione, seu reformatione sunt aliena, in perpetuum suppressis & abolitis, eorumque usu penitus interdicto) adhibere, iisque uti sub pœnis in jure Canonico, & Constitutionibus Sanctæ Memoræ Pii Papæ V. aliorumque Romanorum Pontificum prædecessorum Nostrorum contentis, aliisque ad Ministris Generalis dicti Ordinis pro tempore existentis arbitrium infligendis, auctoritate, & tenore præfatis in virtute Sanctæ obedientiæ præcipimus, ac mandamus. Cæteris verò tam Sanctæ Clare, quam tertii Ordinis ejusdem Sancti Francisci Monialibus Ordinariis locorum, aut alterius familiaris, seu instituti ejusdem Ordinis Minorum Superioribus Regularibus immediatè subjectis, ut Breviario, Missali, Graduali, Antiphonario, Martyrologio, & Kalendario hujus-

modi

modi liberè, ac licitè uti possint, juxta memoratæ Congregationis Cardinalium Decreta, die XXIII. Mensis Novembris anno MDCLXXXVI. tum die XXX. mensis Augusti anno MDCLXXXVII. edita, auctoritate Apostolica concedimus, & indulgemus: Salva tamen semper in præmissis auctoritate Congregationis memoratorum Cardinalium. Necnon, ut nemo tam in Urbe, & universo Statu Ecclesiastico mediatè vel immediatè Nobis subjecto, quam extra Statum hujusmodi Breviarium, Missale, Graduale, Antiphonarium, Martyrologium, & Kalendarium hujusmodi sine speciali dicti Joannis Baptistæ Moderni, aut pro tempore existentis primodicti Ordinis Ministri Generalis toties, quoties imprimi contigerit, in scriptis obtenta licentia imprimere, seu alibi, præterquam supradictis Balleonianis Typis impressa vendere, aut venalia habere, vel proponere possit, auctoritate, & tenore præfatis pariter concedimus, & indulgemus. Inhibentes propterea omnibus & singulis utriusque sexus Christianidelibus, præsertim librorum impressoribus & Bibliopolis, sub excommunicationis lætæ sententiæ pœna ipso facto absque alia declaratione incurrenda, & quoad personas Nobis & Apostolicæ Sedi subjectas etiam quingentorum Ducatorum auri de Camera, ac amissionis librorum & Typorum omnium pro una Cameræ Nostræ Apostolicæ, & pro alia eidem moderno, & pro tempore existente Ministro Generali prædicto, ac pro reliqua tertii partibus accusatori, ac Judici exequenti irremissibiliter applicandis, ne Breviarium, Missale, Graduale, Antiphonarium, Martyrologium, & Kalendarium hujusmodi, vel aliquam eorum partem, etiam prætextu additionis, vel per modum Summarii, aut Compendii, sed alias quomodolibet tam in Urbe, & universo Statu Nostrò præfatis, quam extra dictum Statum sine hujusmodi licentia imprimere, aut ab alio, vel aliis impressa, vel impressam vendere, seu venalia, vel venalem habere, aut proponere quoquo modo audeant, seu præsumant. Mandantes propterea dilectis filiis Nostris, & Apostolicæ Sedis de latere Legatis, seu eorum Vice-legatis, ac Præsidentibus, Gubernatoribus, Prætoribus, & aliis Justitiæ Ministris Provinciarum, Civitatum, Terrarum, & locorum Status Nostræ Ecclesiasticæ præfati, quatenus eidem moderno, & pro tempore existente Ministro Generali in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes, quancumque ab eodem Ministro Generali fuerint requisiti, pœnas præfatas contra quoscumque inobedientes irremissibiliter exequantur: Decernentes easdem præfatas litteras firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & spectabit in futurum plenissimè suffragari, & ab eis respectivè inviolabiliter observari, sicque in præmissis per quoscumque judices Ordinarios & Delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus Constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis, ac dicti Ordinis, ac quibusvis aliis statutis, & consuetudinibus, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis; privilegiis quoque, indultis, & litteris Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis, ceterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut præfatis Nostræ prohibitionis litteræ in principio, vel in fine dictorum Breviarii, Missalis, Gradualis, Antiphonarii, Martyrologii, & Kalendarii inferantur, & imprimantur; & ut earumdem præsentium transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ, vel Procuratoris Generalis munitis, eadem prorsus fides in judicio, & extra adhibeatur, quæ præfatis ipsis adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die XVI. Februarii MDCCXLII. Pontificatus Nostræ Anno Secundo.

Dominicus Cardinalis Passionens.

vi
KALENDARIIUM
FESTORUM

Quæ sunt propria Ordinis Nostri.

JANUARI.

- D**ominica ii. post Epiph. **FESTUM SS. NOMINIS JESU**, duplex ii. Classis, cum commemor. Dominicæ. pag. 5.
16. **SS. BERARDI, PETRI, ACCURSII, ADIUTI**, atque **OTHONIS MM.** duplex secunda Classis. pag. 7.
23. **Desponsatio B. M. V.** duplex majus, cum commemor. S. Joseph, ante alias commemoraciones etiam Dominicæ, postea S. Emerentianæ Virg. & Martyris. pag. 8.
30. **B. Hyacinthæ Virg.** semiduplex. pag. 8.

FEBRUARI.

1. **B. Andreæ de Comitibus Confessoris**, duplex minus. pag. 8.
3. **B. Veridianæ Virg.** duplex minus, cum commemor. S. Blasii Episc. & Mart. pag. 8.
4. **S. Josephi à Leonissa Confess. Ord. Capuccinorum**, duplex majus. pag. 8.
6. **S. Marcelli Papæ & Mart.** semiduplex, cum commemor. S. Dorotheæ Virg. & Mart. pag. 8.
9. **S. Raymundi de Peñafort Conf.** semiduplex, cum commemor. S. Apolloniæ Virg. & Mart. pag. 8.
11. **S. Martinæ Virg. & Mart.** semiduplex. pag. 9.
12. **B. Ludovicæ Viduæ**, semiduplex. pag. 9.
13. **S. Ignatii Episc. & Mart.** semiduplex. pag. 9.
14. **BB. Petri-Baptistæ & Sociorum Martyr. Japonensium**, semiduplex, cum commemor. S. Valentini Presbyteri & Martyris. pag. 9.
15. **Translatio S. Antonii de Padua Confess.** duplex minus, cum commemor. SS. Faustini & Jovite Martyrum. pag. 10.
16. **B. Gregorii X. Papæ & Conf.** dupl. minus. pag. 10.
17. **B. Antonii de Stronconio Conf.** semidupl. pag. 10.
18. **S. Andreæ Corsini Episc. & Conf.** dupl. minus, cum commemor. S. Simeonis Episc. & Mart. pag. 10.
19. **S. Comadi Cont.** duplex majus. pag. 10.
20. **B. Joannæ Valefiæ Francorum Reginae, Viduæ**, duplex minus. pag. 11.
23. **S. Margaritæ de Cortona**, duplex majus, cum commemor. Vigiliæ. pag. 11.
Feria vi. post Dominicam Sexagesimæ, **Festum Sacrorum Quinque Vulnearum D. N. J. C.** duplex majus. pag. 13.

MARTII.

5. **B. Rogerii Confess.**, duplex minus. pag. 13.
6. **B. Coletæ Virg.** duplex minus. pag. 13.
9. **S. Catharinæ Virginis Bononiensis**, duplex majus. pag. 13.
11. **S. Francisæ Viduæ, Romanæ**, dupl. minus. pag. 13.
14. **Translatio S. Bonaventuræ Episcopi, Conf. atque Ecclesiæ Doctoris**, duplex minus. pag. 13.

18. **S. Gabrielis Archangeli**, duplex majus. pag. 14.
22. **S. Benvenuti Episc. & Conf.** duplex majus. pag. 14.
23. **B. Salvatoris ab Horta Confess.** semidupl. pag. 14.
30. **B. Angelæ Fulginatis, Viduæ**, dupl. minus. pag. 14.

APRILIS.

3. **B. Benedicti à S. Philadelpho, Confessoris**, semiduplex. pag. 14.
12. **B. Angeli à Clavasio, Conf.** semiduplex. pag. 14.
20. **B. Jacobi Illyrici Conf.** semiduplex. pag. 14.
24. **S. Fidelis à Sigmaringa Martyris**, duplex majus. pag. 14.
28. **B. Lucii Confess.** duplex minus, cum commemor. S. Vitalis Martyr. pag. 14.
Dominica iii. post Pascha; **Festum Patrocini S. Joseph Sponsi B. M. V.** duplex majus, cum commemor. Dominicæ. pag. 14.

M A J I.

13. **S. Petri Regalati Conf.** duplex ii. Classis. pag. 15.
17. **S. Paschalis Conf.** duplex majus. pag. 15.
19. **S. Ivonis Conf.** duplex majus, cum commemor. S. Pudencianæ Virg. pag. 16.
20. **S. BERNARDINI CONFESSORIS**, duplex secunda Classis. pag. 16.
21. **S. Felicis à Cantalicio Conf.** dupl. majus. pag. 17.
22. **S. Petri Cælestini Papæ & Confessoris**, duplex minus. pag. 18.
23. **B. Humilianæ Viduæ**, duplex minus. pag. 18.
24. **B. Joannis de Prado Mart.** semiduplex. pag. 19.
25. **Translatio Seraphici P. S. Francisci**, duplex majus, cum commemor. S. Urbani Papæ & Martyris. pag. 19.
28. **S. Gregorii VII. Papæ & Confessoris**, duplex minus. pag. 19.
Dominica v. post Pascha, **Festum Dedicationis Basilicæ Nostræ Assistentis S. P. Francisci**, quæ universi Seraphici Ordinis est Caput & Mater duplex majus, cum commemor. Dominicæ. pag. 19.

J U N I I.

3. **B. Andreæ de Hyspello, Confessoris**, duplex minus. pag. 19.
5. **B. Pacifici Confess.** semiduplex. pag. 19.
12. **B. Guidi Cortonensis Conf.** duplex minus, cum commemor. SS. Basilidis, Cyrini, Naboris, & Nazarii Martyr. pag. 19.
13. **S. ANTONII DE PADUA CONFESSORIS**, duplex secunda Classis cum Octava. pag. 20.
14. **S. Basilii Magni Episc. & Confess.** duplex minus, cum commemor. Octavæ. pag. 20.
15. **S. Joannis à S. Facundo Confess.** duplex minus, cum commemor. Octav. ac SS. Viti, Modesti, & Crescentiæ Mart. pag. 21.
16. De

KALENDARIIUM.

16. De Octava S. Antonii, semiduplex.
17. De Octava, semiduplex.
18. De Octava, semiduplex, cum commemor. SS. Marci & Marcelliani Martyrum.
19. **B. Michalinæ Viduæ, Tertii Ordinis**, duplex minus, cum commemor. Oct. ac SS. Gervasii & Protasii Martyrum. pag. 21.
20. Octava S. Antonii, duplex minus, cum commemor. S. Silverii.
22. **Commemoratio Sanctorum**, quorum Corpora seu Reliquiæ in Ecclesiis Nostri Ordinis asservantur, duplex minus, cum commemor. S. Paulini Episcopi & Confess. pag. 22.
23. **S. Julianæ de Falconeriis Virginis**, duplex, cum commemor. Vigiliæ S. Joannis Baptistæ. pag. 22.
27. **B. Benvenuti Confess.** duplex minus, cum commemor. Oct. S. Joannis Baptistæ. pag. 22.

J U L I I.

8. **S. Elisabeth Reginae Lusitanæ Viduæ**, duplex majus. pag. 23.
9. **BB. Nicolai & Sociorum Martyrum Gorcomiensium**, semiduplex. pag. 23.
14. **S. BONAVENTURÆ EPISC. & CONF. atque ECCLESIAE DOCT.** duplex secunda Classis cum Octava. pag. 23.
15. **S. Henrici Conf.** semiduplex, cum commemor. Oct. pag. 23.
16. **B. M. V. de Monte Carmelo**, duplex majus, cum commemor. Oct. & Canonizationis Seraphici P. S. Francisci. pag. 24.
17. **S. Alexii Conf.** semiduplex, (Romæ, & in ejus Districtu, duplex minus.) cum commemor. Oct. pag. 24.
18. **B. Simonis de Lypnica Confess.** semiduplex, cum commemor. Octava, ac SS. Symphorosæ & Filiorum Martyrum. pag. 25.
19. **B. Joannis de Dukla Confess.** duplex minus, cum commemor. Octavæ. pag. 25.
20. **S. Vincentii à Paulo Confess.** duplex minus, cum commemor. Octavæ, ac S. Margaritæ Virg. & Martyr. pag. 25.
21. Octava S. Bonaventuræ, duplex minus, cum commemor. S. Praxedis Virginis. pag. 25.
24. **S. Francisci Solani Confess.** duplex majus, cum commemor. Vigiliæ, ac Sanctæ Christinæ Virg. & Martyris. pag. 25.
27. **B. Cunegundis Reginae Poloniae Virg.** duplex minus, cum commemor. S. Pantaleonis Mart. pag. 25.

AUGUSTI.

2. **Dedicatio Ecclesiæ S. Mariæ Angelorum**, duplex majus, cum commemor. S. Stephanii Papæ & Martyris. pag. 25.
4. **S. DOMINICI CONF.** duplex ii. Classis. pag. 26.
11. De Octava S. Laurentii, semiduplex, cum commemor. Vigiliæ S. Claræ, ac SS. Tiburtii & Susannæ Mart. pag. 26.
In Ecclesiis Monialium S. Claræ tantum hodie fit de Vigiliæ S. Claræ, cum commemor. Oct. S. Laurentii, ac SS. Tiburtii & Susannæ Mart.
12. **S. CLARÆ VIRGINIS**, duplex prima Classis cum Octava. pag. 27.
13. **S. Camilli de Lellis Conf.** semiduplex, cum commemor. Octavar. S. Claræ, & S. Laurentii, ac SS. Hippolyti & Cassiani Martyrum. pag. 28.
14. De Octava S. Claræ, semiduplex, cum commemor. Oct. S. Laurentii, Vigiliæ, & S. Eusebii Conf.

16. **S. Rochi Confess.** duplex majus, cum commemor. Octavarum Assumptionis, S. Claræ, & S. Laurentii. pag. 28.
17. Octava S. Laurentii, duplex, cum commemor. Octavarum Assumptionis, & S. Claræ.
18. **B. Claræ de Montefalco Virg.** duplex minus, cum commemor. Octavarum Assumptionis, & S. Claræ, ac S. Agapiti Mart. pag. 28.
19. **S. LUDOVICI EPISC. & CONF.** duplex secunda Classis, cum commemor. diei Octavæ S. Claræ tantum. pag. 28.
21. **S. Hyacinthi Conf.** duplex minus, cum commemor. Oct. Assumptionis. pag. 29.
25. **S. Ludovici Regis Francorum Confess.** duplex majus. pag. 22. Romæ celebratur die 26. cum commemor. S. Zephyrini Papæ & Martyris. Apud Tertiarios, duplex prima Classis cum Octava; Romæ etiam apud ipsos celebratur die 26. sine commemor. S. Zephyrini, quæ Commemor. facienda erit die 27.
31. **S. Raymundi Nonnati Conf.** duplex minus.

SEPTEMBRIS.

1. **BB. Joannis & Petri Mart.** duplex minus, cum commemor. S. Ægidi Abbatis, ac SS. XII. Fratrum Martyrum. pag. 29.
Apud Tertiarios, ubi Festum S. Ludovici Regis celebratum est die 25. Augusti, hodie fit de ejus die Octava, duplex. Et de BB. Joanne & Petro fit die 6. hujus, Ubi verò celebratum est die 26. de die Octava fit die sequenti, & de S. Stephano Rege fit die 6.
3. **B. Isabellæ Virg.** duplex minus. pag. 29.
4. **S. Rosæ Virg. Viterbiensis**, duplex majus. pag. 29.
9. **B. Seraphinæ Sfortiæ Viduæ, Clarissæ**, semiduplex, cum commemor. Oct. Nativ. B. Mariæ, ac S. Gorgonii Martyr. pag. 30.
17. **IMPRESSIO SACRORUM STIGMATUM in Corpore Seraphici P. S. FRANCISCI**, duplex secunda Classis. pag. 30.
18. **B. Josephi à Cupertino Confess. Ordinis Nostri**, duplex minus. pag. 30.
22. **S. Thomæ de Villanova Episcopi & Confessoris**, semiduplex, cum commemor. SS. Mauriti & Sociorum Martyrum. pag. 31.
26. **B. Luciæ Virg.** duplex minus, cum commemor. SS. Cypriani & Justinæ Mart. pag. 31.
27. **S. Elzarii Conf.** duplex majus. pag. 31.
28. **B. Bernardini Feltrensis Conf.** semiduplex. pag. 32.


OCTOBRIS.

3. **Translatio S. Claræ Virg.** duplex minus, cum commemor. Vigiliæ Seraphici P. S. Francisci. pag. 32.
4. **SERAPHICI P. S. FRANCISCI**, dupl. i. Classis cum Octava. pag. 34.
5. De Octava Seraphici P. S. Francisci, semiduplex, cum commemor. SS. Placidi & Sociorum Mart.
6. **S. Brunonis Confess.** duplex minus, cum commemor. Octav.
7. De Octava Seraphici P. semiduplex, cum commemor. S. Marci Papæ & Conf. ac SS. Sergii, Bacchi, Marcelli, & Apuleji Mart.
8. **S. Birgittæ Viduæ**, duplex minus, cum commemor. Octavæ.
9. **SS. Dionysii, Rustici, & Eleutherii Mart.** semiduplex, cum commemor. Octav.
10. **S. Fran-**

- 10. S. Francisci Borgia Conf. *semiduplex, cum commemor. Octav.*
- 11. Octava Seraphici P. S. Francisci, *duplex.* pag. 37.
- 12. B. Seraphini Confess. *semiduplex.* pag. 37.
- 13. SS. DANIELIS, & SOCIORUM MART. *duplex ii. Classis.*
- 16. SS. Cosmæ & Damiani Mart. *semidupl.* pag. 38.
- 19. S. PETRI de ALCANTARA CONF. *duplex ii. Classis.* pag. 38.
- 20. S. Venceslai Ducis Bohemæ Martyris, *semiduplex.* pag. 38.
- 21. S. Eduardi Regis Confess. *semiduplex, cum commemor. S. Hilariæ Abbatis, ac SS. Ursulæ & Sociarum Virg. & Martyrum.* pag. 38.
- Sed In Ecclesiis Monialium S. Claræ tantum, hodie fit de Festo SS. Ursulæ & Soc. Virg. & Mart. *duplex majus.*
- 22. B. Ladislai de Gielniow Conf. *dubl. minus.* pag. 39.
- 23. S. Joannis a Capistrano Conf. *dubl. majus.* pag. 39.
- 24. S. Raphaelis Archangeli, *duplex majus.* pag. 39.
- 25. In Ecclesiis Monialium S. Claræ, tantum, hodie fit de Festo S. Eduardi Confess. *semiduplex,* (fuit 21. hujus,) *cum commemor. SS. Chrysanthi & Dariae Martyr. ut in Missali.* pag. 39.

NOVEMBRIS.

- 3. De Octava Omnium Sanctorum, *semiduplex.* Et Commemoratio omnium Fratrum, Sororum, & Benefactorum Nostri Ordinis Defunctorum, *duplex.* pag. 42.
- 4. In Missa S. Caroli Borromæi Episc. & Conf. post commemorationem Octavæ Omnium Sanctorum, fit *commem. B. Helenæ Enselminæ Virg. Patavinæ Ordinis S. Francisci, ac SS. Vitalis & Agricolæ Martyrum.* pag. 39.
- Dominica ii. Novembris, *Festum Patrocinii B. M. V. duplex majus, cum commemor. Domin.* pag. 39.
- 13. S. Didaci Confess. *duplex majus.* pag. 39.
- 16. B. Agnetis Virginis Assisientis germanæ sororis S. Clare, *duplex majus.* pag. 40.
- 17. B. Salomeæ Virg. *duplex minus.* pag. 40.
- 19. S. Elisabeth Filia Hungariæ Regis, Viduæ, *duplex*



- majus; cum commemor. S. Pontiani Papæ & Martyris. pag. 40.
- Apud Tertiarias, *duplex i. Classis cum Octava, sine commemor. S. Pontiani, quæ Commemor. facienda erit die 20.*
- 26. B. Delphinæ Virg. *duplex minus, cum commemor. S. Petri Episcopi & Mart.* pag. 41.
- Apud Tertiarias, Octava S. Elisabeth, *duplex, cum commemor. ut supra. Et de B. Delphina fit die 6. Decembris, cum commemor. Feriæ, ac S. Sabbae Abbatis.* pag. 42.
- 27. S. Gregorii Thaumaturgi Episcopi & Confess. *semiduplex.* pag. 1.
- 28. S. Jacobi Picensi Confess. *duplex majus.* pag. 1.
- 29. FESTUM OMNIUM SANCTORUM universi Seraphici Ordinis, *duplex ii. Classis, cum commemor. Vigiliæ, & S. Saturnini Mart. in Missis tantum privatis.* pag. 1.

DECEMBERIS.

- 7. S. Ambrosii Episcopi Conf. atque Eccles. Doct. *duplex minus, cum commemor. Feriæ, postea Vigiliæ Immaculatæ Conceptionis.* pag. 2.
- 8. IMMACULATA CONCEPTIO B. M. V. ORDINIS NOSTRI PATRONÆ, *duplex i. Classis cum Octava, cum commemor. Feriæ.* pag. 4.
- 9. De Octava Immaculatæ Conceptionis, *semiduplex, cum commemor. Feriæ.*
- 10. Translatio Almar Domus B. M. V. *duplex majus, cum commemor. Feriæ, ac S. Melchiadis.* pag. 5.
- 11. S. Damasi Papæ & Confess. *semiduplex, cum commemor. Octav. & Feriæ.*
- 12. De Octava Immaculatæ Conceptionis, *semiduplex, cum commemor. Feriæ.*
- 13. S. Lucia Virginis & Martyr. *duplex minus, cum commemor. Oct. & Feriæ.*
- 14. De Octava Immaculatæ Conceptionis, *semiduplex, cum commemor. Feriæ.*
- 15. Octava Immaculatæ Conceptionis B. M. V. *duplex minus, cum commemor. Feriæ.* pag. 5.
- 18. Expectatio Partus B. M. V. *duplex majus, cum commemor. Feriæ.* pag. 5.

RUBRICÆ PECULIARES
MISSALIS FRATRUM MINORUM
SANCTI FRANCISCI
CONVENTUALIUM,

Monialium SANCTÆ CLARÆ, ac Tertii Ordinis
utriusque sexus.

AD RUBRICAM III. GENERALEM.

De Feriæ, & Vigilia.

Occurrente Feriâ Quatuor Temporum infra Octavam Immaculatæ Conceptionis, si Officium fiat de die infra Octavam, Missa, sive una canteur, sive legantur, celebrari debent de Feriâ ipsâ, cum secunda Oratione de Octava, & tertia de Spiritu Sancto, ac Prefatione de B. Maria. Si verò occurrat in die Octava, Missa privata dicuntur de Octava cum commemor. Feriæ; & in Missa solemnî de Octava post Tertiam non fit Commemor. Feriæ. In Missa autem de Feriâ post Nonam non fit commemor. Octavæ, sed dicuntur Orationes assignatæ in ipsa Feriâ, nempe: Deus, qui de B. M. V. vero, & tertia, Ecclesiæ, vel pro Papa. cum Prefatione communi. S. R. C. 23. Junii 1736.

AD RUBRICAM IV.

De Missis Votivis.

Missa pro Ordine nostro approbata in Festo Immaculatæ Conceptionis, non potest dici tamquam votiva, neque in Sabbatis; sed pro votiva debet dici Missa de S. Maria conveniens tempori. S. R. C. 20. Julii 1609. & 30. Septembris 1679.

2. In Expositione Sanctissimi Sacramenti pro initio quadraginta horarum, vel Spiritualium exercitationum, cantari debet, præter Missam Conventualem post Tertiam, altera Missa post Nonam votiva de Sacramento, quæ habetur circa finem Missalis, non autem festiva Corporis Christi (nisi infra Octavam ejusdem Festi casus accideret,) & tempore Paschali addendum est Alleluja, ut fit in aliis Missis votivis. Dicitur una tantum Oratio, cum Gloria, Credo, & Prefatione de Nativitate, quia solet esse publica causa: privatis autem Missis hæc non conveniunt. Si verò occurrat Festum i. vel ii. Classis, aut Dominica privilegiata i. vel ii. Classis, vel Feriâ iv. Cinerum, aut aliqua ex Feriis majoris Hebdomadæ, cantatur Missa Conventualis conveniens Officio illius diei, cum commemor. Sanctissimi Sacramenti sub unica conclusione. S. R. C. 20. Januarii 1707. & 23. Junii 1736. Et hæc regula servanda est etiam illis diebus, in quibus prohibetur fieri Officium de duplici, vel semiduplici.

3. Missæ votivæ jam acceptæ, etiam in Cantu fundæ, quæ non possunt celebrari diebus impeditis, de-

bent recitari de Festo occurr. cum applicatione Sacrificii. Dies autem impediti sunt, in quibus fit Officium duplex, & qui excludunt Officium Festi duplicis. S. R. C. 19. Maji 1614. & 24. Julii 1683.

4. Missæ votivæ solennes pro re gravi nequeunt celebrari in Dominicis i. & ii. Classis; neque in duplicibus i. & ii. Classis; neque in Feriâ iv. Cinerum; neque in majori Hebdomada. S. R. C. 20. Januarii 1705.

5. Missæ votivæ privatæ nequeunt celebrari in Duplicibus. S. R. C. 5. Augusti 1662. & 23. Septembris 1669. in Dominicis, 4. Maji 1683. In Vigilia Epiphaniæ, Pentecostes, & Nativitatis Domini, 27. Aprilis 1697. 10. Decembris 1718. 28. Augusti 1627. In diebus infra Octavas Epiphaniæ, Paschatis, Pentecostes, Corporis Christi, & Nativitatis Domini, 28. Aprilis 1627. 4. Maji 1683. & 25. Aprilis 1706. In Feriâ iv. Cinerum, & in Hebdomada majori, 23. Augusti 1627.

AD RUBRICAM V.

De Missis Defunctorum.

SI in aliqua Feriâ ii. Quadragesimæ occurrat commemoratio Sancti Simplicis, quando dictum est Officium Defunctorum, sufficit in Missa tertia Oratio, A cunctis. quod si dicatur quarta, Omnipotens, quinta erit ad libitum. S. R. C. 4. Maji 1709.

2. In Feriâ ii. post Dominicam Passionis, si contingat dici Officium Defunctorum, non dicitur neque Missa de Defunctis, neque Oratio, Fidelium, in Missa de Feriâ. S. R. C. 11. Julii 1613.

3. Missa de Requie solennis, præsentem Cadavere potest celebrari in Dominicis, aliisque Festis. S. R. C. 17. Maji 1603. Non autem in diebus i. Classis solemnioribus. S. R. C. 23. Junii 1607. & 5. Julii 1698.

4. Missæ privatæ de Requie, etiam præsentem Cadavere, nequeunt celebrari illis diebus in superiori Rubrica num. 5. descriptis, in quibus interdiciuntur Missæ votivæ privatæ. Ex pluribus S. R. C. Decretis, & præcipuè 13. Julii 1697. 23. Septembris 1705. 10. Junii 1708. & 25. Septembris 1714. Neque quando est Expositum Sanctissimum Sacramentum. S. R. C. 20. Januarii 1707.

5. Missa de Requie, ut in die Obiit, pro anima alicujus, cum accipiuntur nuntium de illius obitu in loco disito, potest cantari in Festo duplici majori, vel minori, non tamen festivo de præceptis, ut citius suffragetur animæ Defuncti. S. R. C. 4. Maji 1616.

6. Missæ solennes Anniversariæ de Requie, etiam

ex dispositione Testatoris; nequeunt celebrari in Dominicis, & aliis Festis de præcepto. *S. R. C. 4. Maji 1636.* Neque in duplicibus i. & ii. Classis; neque in diebus infra Octavas Epiphaniæ, Resurrectionis, Pentecostes, & Corporis Christi. *S. R. C. 28. Augusti 1627. & 5. Julii 1698.* Neque in Feria iv. Cinerum, & majori Hebdomada. *S. R. C. 28. Augusti 1627.* Neque in Vigiliis Pentecostes, & Nativitatis Domini. *S. R. C. 4. Maji 1638. & 5. Julii 1698.* Neque quando est expositum Sanctissimum Sacramentum. *S. R. C. 2. Decembris 1684.*

7. Missa in Anniversario Defuncti, aut die tertia, vel septima, vel trigesima post obitum, si cadat in die festivo de præcepto, aut aliàs impedito, transfertur cum eadem solemnitate in diem sequentem, vel antecedentem, etiamsi occurrat duplex majus. *S. R. C. 23. Maji 1603. 27. Septembris 1608. & 19. Maji 1614.* Et tunc non est varianda Oratio: *Cujus anniversarium depositionis diem.* Sed recitanda, ut in Missali. *S. R. C. 4. Maji 1686.* Idemque servatur, si Anniversarium per aliquot dies anticipetur, aut postponatur.

8. In die Commemorationis Omnium Fidelium Defunctorum, licet possit fieri officium de duplici minori, etiam translato; omnes tamen Missæ privatae celebrandæ sunt de Requie. *S. R. C. 5. Octobris 1686. 27. Septembris 1688. & 19. Junii 1700.* De Festo vero dicitur unica Missa, quæ cantari debet post Tertiam. *S. R. C. 5. Maji 1736.*

9. In die Commemorationis Omnium Defunctorum Sacrificia possunt à Sacerdotibus celebrantibus applicari ad libitum, scilicet vel pro omnibus Fidelibus Defunctis, vel pro aliquibus tantum. *S. R. C. 4. Augusti 1663. & 9. Decembris 1709.*

AD RUBRICAM VII.

De Commemorationibus.

SI aliquod Duplex ii. Classis venerit in Feria iii. Rogationum, nisi dicatur Missa de Rogationibus, sit de ipsis commemoratio etiam in Missa solemnè. Et est consonum Rubricæ VII. num. 2.

2. Dum Missa cantatur coram Sanctissimo Sacramento in Altari exposito, debet de eodem fieri commemoratio post omnes alias commemoraciones de præcepto; & in Missis solemnibus Festorum i. & ii. classis faciendæ est commemoratio sub unica conclusione. *S. R. C. 23. Junii 1736.*

3. Si hoc Festum venerit in Feria v. post Cineres, tunc Secreta pro commem. Feriæ debet mutari, quia est eadem cum Secreta SS. Martyrum supra, & debet sumi Secreta ex Missa Feriæ vi. sequentis. Similiter si incidit in Fer. iii. Hebdom. i. Quadrage. debet mutari Postcomm. Fer. (cum sit eadem & pro SS. Martyribus) & sumenda Postcomm. Fer. iv. sequentis.

4. Si hoc Festum incidit in Feriam sextam Quatuor Temp. Septembris, tunc mutanda erit Postcomm. Feriæ, quia est eadem cum Postcomm. Festi: idè pro commem. Feriæ sumenda erit Postcomm. Missæ Sabbati sequentis, scilicet, *Perficiant, &c.* nam mutatio faciendæ est (ex Rubr. Gener.) de quo sit commemoratio, non de quo sit Officium.

5. Idemque servetur, si Festum S. Martini Episc. & Conf. occurrat in Dominica xxii. post Pentecosten; in quo occurrit mutari debet Secreta Dominica, quia est eadem cum Secreta S. Martini, & sumi Secreta Dominicæ xxiii. sequentis, *Pro nostræ servitutis.*

AD RUBRICAM VIII.

De Introitu, Kyrie eleison, & Gloria in excelsis.

IN Sabbatis tam Feriarum, quàm Adventus, si dicatur Missa votiva de S. Maria, dicitur Gloria in excelsis. *S. R. C. 19. Maji 1607. & 27. Julii 1609.*

2. Res gravis pro licita Votivæ solemnè decantatione, ea est, quæ Superiorum judicio censetur gravis; ut cum celebrantur apud Nos Comitata Generalia, seu Provincialia. *S. R. C. 19. Maji 1607.* Et tunc, nisi adhibeantur Paramenta violacea, dicitur Gloria in excelsis, cum Credo, Sac. Rit. Congr. 19. Maji 1607. Receptio ad habitum & ad Professionem religiosam; electio quoque Abbatis in Monasteriis Monialium, sub re gravi numerari non possunt. *S. R. C. 24. Julii 1683.*

AD RUBRICAM IX.

De Orationibus.

AB Orationibus expungenda sunt cognomina & patriæ Sanctorum. *S. R. C. 23. Junii 1736.*

2. In Semiduplicibus infra Hebdomadam Passionis occurrentibus, ubi dicuntur duæ Missæ Conventuales, altera de Festo post Tertiam, altera de Feria post Nonam; in utraque illarum dicitur tantum ii. Oratio, *Ecclesiæ*, vel *pro Papa*. In Missis vero privatis de Festo, ii. Oratio erit de Feria, & iii. *Ecclesiæ*, vel *pro Papa*. Idque est conforme Rubricæ ix. num. 5.

3. In Missis de tempore à Dominica Passionis usque ad Feriam iv. Majoris Hebdomadæ inclusivè, & infra Octavas Paschæ & Pentecostes, si occurrat commemoratio de simplici, omittitur Oratio, *Ecclesiæ*, vel *pro Papa*; quia in hujusmodi Missis de tempore non est dicenda tertia Oratio. *S. R. C. 22. Novembris 1659.*

4. Feria tertia Rogationum non dicitur secunda Oratio Dominicæ. *S. R. C. 25. Septembris 1706.*

5. In Missa de Festo semiduplici, occurrente in Vigilia Omnium Sanctorum, post Orationem Vigilæ, iii. Oratio erit, *A cunctis*, non verò de Spiritu Sancto. *S. R. C. 21. Junii 1710.*

6. In Missa de Sanctissimo Corpore Christi, quando per Annum fit de eo Officium semiduplex (quæ non debet dici, ut in ejus Solemnitate, sed prout ponitur in Missali Romano inter Votivas post Commune Sanctorum) dicitur ii. & iii. Oratio conveniens tempori, prout in aliis Semiduplicibus, juxta Rubricam Generalem. *S. R. C. 12. Julii 1664.*

7. In Missis votivis de Spiritu Sancto, secunda Oratio est de Officio illius diei, & tertia, *A cunctis*, vel illa alia, quæ pro varietate temporis in Missa de Sancto esset secunda. Idque est conforme tum Rubricæ Generali, tum etiam Decreto num. præced. relato.

8. In Festis i. Classis non dicitur Oratio imperata à Majoribus pro re gravi. *S. R. C. 23. Augusti 1627.* Neque in duplicibus ii. Classis, juxta usum Ecclesiarum Urbis.

9. Non est omittenda una ex assignatis Orationibus in Missa, veluti tertia, *A cunctis*. Si secunda esset de Festo simplici; aut illa, quæ est *ad libitum*, seu pro devotione Sacerdotis eligenda, ut ejus loco dicatur Oratio imperata, veluti, *Deus refugium*. Sed post iii. Ora-

Ora-

AD RUBRICAM XVIII.

De Coloribus Paramentorum.

Rubeo colore utimur in Festo Sacrorum Quinque Sanctorum, quorum Reliquiæ, seu Corpora in Ecclesiis Nostri Ordinis aservantur. In reliquis servatur Rubrica XVIII.

SUPER RITUM

Servandum in celebratione Missæ.

AD TITULUM II.

De ingressu Sacerdotis ad Altare.

Dum Horæ Canonice recitantur in Choro, non sunt celebrandæ Missæ privatæ in Altari Majori. *S. R. C. 2. Maji 1620.*

AD TITULUM III.

De principio Missæ, & Confessione faciendæ.

UTentes nostro Breviario possunt in Confessione, quæ fit in principio Missæ, addere nomen beati Patris Francisci post nomina Apostolorum. Ex speciali Indulto *Benedicti XIII.* anno 1724.

AD TITULUM XIII.

De Missa, & Absolutione pro Defunctis.

IN Exequiis post Absolutionem, quæ fit supra Cadaver in die obitus, vel supra Tumulum in die Anniversaria, dicto *V. Requiescant in pace*; subjungi debet: *Anima ejus, & animæ omnium fidelium Defunctorum, per misericordiam Dei requiescant in pace.* In die vero Commemorationis Omnium Fidelium Defunctorum super Lecticam nihil est superaddendum, sed *V. ille* omittitur. *S. R. C. 2. Decembris 1684.*

2. In die Commemorationis Omnium Fidelium Defunctorum ad Absolutionem super Lecticam non est dicenda tota Conclusio in Oratione; sed brevis: *Qui vivis & regnas in sæcula sæculorum.* *S. R. C. 5. Julii 1698.*

RITUS

In expositione, & repositione SS. Sacramenti, aliisque sacris functionibus.

IN Expositione SS. Sacramenti; ac etiam in Statione, cum fit Processio, & SS. Sacramentum deponitur super aliquod Altare ad id præparatum, ad Orationem, *Deus qui nobis*, præmitti debet à Sacerdote *V. Dominus vobiscum.* In Repositione verò, quando Sacerdos debet statim cum SS. Sacramento dare benedictionem Populo adstanti, omittendus est *V. Dominus vobiscum*, Oratio autem, *Deus qui nobis*, semper concludi debet: *Qui vivis & regnas per omnia sæcula sæculorum.* Si verò alia Oratio, vel plures Orationes addantur, omnes simul sub unica brevi con-

Orationem potest & imperata dici; cum in Missa de semiduplici, vel simplici, vel votiva, non sint necessarii dicendæ Collectæ impares, puta tres, quinque, vel septem. *S. R. C. 8. Decembris 1684. & 15. Augusti 1709.*

AD RUBRICAM X.

De Epistola, Graduali, Alleluja, & Tractu, ac de Evangelio.

Quando Festum S. Petri Mart. transfertur extra tempus Paschale, Evangelium erit: *Si quis venit ad me.* *S. R. C. 5. Maji 1736.*

2. In reliquis Evangeliorum mutationibus in festis Martyrum, quæ à tempore Paschali transferuntur extra tempus Paschale, sive è contrâ, fervetur Rubrica nostra particularis Breviarii, Ad Rubricam XVI. num. 5.

AD RUBRICAM XI.

De Symbolo.

IN Missis de Sancto, de quo fit Officium duplex, Iratione Reliquiæ insignis, dicitur *Credo.* *S. R. C. 8. Aprilis 1624.*

2. In Festis Sanctorum Martyrum, Confessorum, ac Virginum, quamvis celebrentur sub ritu duplici majori, non est dicendum Symbolum in Missa. *S. R. C. 19. Junii 1700.* Etiamsi fuerint Festa Sanctorum, aut Beatorum Ordinis Nostri. *S. R. C. 12. Julii 1664.*

3. In Festis Translationum Seraphici P. S. Francisci, ac S. Bonaventuræ Ecclesiæ Doctoris, dicitur Symbolum. Idque est conforme Rubricæ XI. In Translationibus verò S. Claræ & S. Antonii non dicitur, nisi in illis Ecclesiis, in quibus habetur Reliquia insignis, juxta Decretum S. R. C. relatum superius num. 1.

AD RUBRICAM XII.

De Offertorio &c. & Præfationibus.

INtra Octavam Ascensionis, occurrente Festo Translationis Seraphici P. S. Francisci, sive alio Festo, quod habeat Præfationem propriam, etiamsi in illo Festo juxta Rubricam de Commemorationibus nulla fieret commemoratio de Ascensione, dicitur Præfatio propria illius Festi, & *Communicantes*, de Ascensione. Quod si Festum illud propriam non haberet, dicitur etiam Præfatio de Ascensione. *S. R. C. 28. Augusti 1627.*

2. In Missa de Feria IV. Quatuor Temporum Septembris occurrente in die Octava Nativitatis B. M. V. dicenda est Præfatio communis, non verò propria de B. V. *S. R. C. 12. Decembris 1626.*

AD RUBRICAM XIV.

De ordinanda Missa.

Missæ propriæ pro Ordine Nostro approbatæ, non possunt ab aliis dici, nec etiam in nostris Ecclesiis, nisi addit peculiare Indultum. *S. R. C. 19. Novembris 1622.*

conclusionem, quæ ultimæ Orationi conveniat, puta; *Per Christum Dominum nostrum*, vel, *Per eundem Christum*, vel alio simili modo terminentur. Ita S. R. C. 16. Junii 1663. & 28. Septembris 1675. Et instructio Romana pro Expositione & Repositione SS. Sacramenti.

2. In benedicendo populum cum Sanctissimo Sacramento, iste modus approbatus est, nimirum: Cum Sacerdos stat ante populum, Ostensorium ante pectus tenet; tum elevat illud decenti mora, non supra caput, sed tantum usque ad oculos, & eodem modo illud demittit infra pectus: mox iterum recta linea illud tollit usque ad pectus, & exinde ad sinistrum humerum ducit, & reducit ad dexterum; & gyrum perficiens, collocat Ostensorium super Altare.

3. In Ecclesiis nostri Ordinis, in quibus non adest sufficiens numerus Cantorum & Ministrorum pro Solemnibus Functionibus dierum Purificationis B. M. V. Feriæ IV. Cinerum, Dominicæ Palmarum, Feriæ V. in Coena Domini, Feriæ VI. in Parasceve, & Sabbati Sancti, servetur parvum Cæremionale, jussu *Benedicti XIII.* anno 1725. pro Ecclesiis minoribus evulgatum.

4. In Ecclesiis, in quibus non aservatur SS. Sacramentum, non est licita celebratio Missæ in Feriæ V. in Coena Domini, & Sabbato Sancto, neque ejusdem Augustissimi Sacramenti aservatio in Sepulchro. Et ubi aservatur Sanctissimum, interdiciuntur omnes Mis-

sa; præter unam solemnem eisdem diebus. S. R. C. 24. Junii 1659. & 13. Septembris 1691.

5. Non licet Mulieribus comitari Processiones per Claustra Monasteriorum Regularium, nisi adsit expressa licentia Sedis Apostolicæ. S. R. C. 30. Septembris 1628. Sub poenis, quibus comprehenduntur Regulares permittentes feminas ingredi Septa eorum Monasteriorum. S. R. C. 5. Julii 1631.

Pro Confessariis, & Cappellanis
Monialium.

Confessarii & Cappellani Sæculares Monialium possunt celebrare Missam de Sancto, de quo Moniales recitant Officium, sed cum Missali Romano de Communi, si intra Missale Romanum non sit de eo Missa propria. S. R. C. 19. Novembris 1622.

2. In Communionem Monialium habentium Ostiolum in parte Evangelii, Sacerdos debet descendere, & reverti per gradus anteriores, & non laterales Altaris. Completa Communionem, si velit dare benedictionem Monialibus cum Sacramento in Pyxide incluso, nihil dicat, alioquin statim deferat Sacramentum ad Altare, & reclusa Pyxide in Tabernaculo revertatur ad Ostiolum, & manu formans signum Crucis benedicit illis, dicens: *Benedictio Dei omnipotentis &c.* S. R. C. 15. Septembris 1737.



PROPRIMUM
MISSARUM
DE SANCTIS

Ad usum Fratrum Minorum

S. FRANCISCI CONVENTUALIUM.

Die xxvii. Novembris.

IN FESTO SANCTI GREGORII

Thaumaturgi Episc. & Confessoris.

Missæ, ut in Missali Romano die 17.
Novembris.

Die xxviii. Novembris.

IN FESTO SANCTI JACOBI

Piceni Confessoris.

Missæ. Justus ut palma. de Communi
Confessoris non Pontificis secundo
loco.

Oratio.

Deus, qui ad animarum salutem, & peccatores è vitiorum cœno ad viam virtutis revocandos, beatum Jacobum Confessorem tuum Evangelii præconem eximium effecisti: concede propitius; ut ejus intercessione à peccatis omnibus expiati, vitam consequamur æternam. Per Dòminum.

Non dicitur Credo.

Die xxix. Novembris.

IN FESTO OMNIUM

Sanctorum Universi Seraphici

Ordinis: Introitus.



Audeamus omnes in Dòmino, diem festum celebrantes sub honore Sanctorum omnium Seraphici Ordinis: de quorum solemnitate gaudent Angeli, & collaudant Filium Dei.

Psal. 32. Exultate justi in Dòmino: rectos decet collaudatio.

Oratio.

Omnipotens sempiternè Deus, qui nos omnium Sanctorum Seraphici Ordinis mèrita sub una tribuisti celebritate venerari: quæsumus; ut desideratam nobis tuæ propitiatiõnis abundantiam, multiplicatis intercessoribus, largiaris. Per Dòminum.

Et fit commemor. Vigiliæ S. Andreae, deinde Feriæ, si venerit in Adventu, postea S. Saturnini Martyr. in Missis tantum privatis.

Lectio libri Apocalypsis beati Joannis Apostoli.

Apoc. 7.

In diebus illis: Ecce ego Joannes vidi àlterum Angelum ascendentem ab ortu solis, habentem signum Dei vivi: & clamavit voce magna quatuor Angelis, quibus datum est nocere terræ & mari, dicens: Nolite nocere terræ & mari, neque arboribus, quoadusque signemus servos Dei nostri in frõntibus eorum. Et audivi númerum signatorum, centum quadraginta quatuor millia signati, ex omni tribu filiorum Israel. Ex tribu Juda duodecim millia signati. Ex tribu Ruben duodecim millia signati. Ex tribu Gad duodecim millia signati. Ex tribu Aser duodecim millia signati. Ex tribu Nèphthali duodecim millia signati. Ex tribu Manasse duodecim millia signati. Ex tribu Simeon duodecim millia signati. Ex tribu Levi duodecim millia signati. Ex tribu Isachar duodecim millia signati. Et tribu Zabulon duodecim millia signati. Ex tribu Joseph duodecim millia signati.

signati: Ex tribu Benjamin duodecim millia signati. Post hæc vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat, ex omnibus gentibus, & tribubus, & populis, & linguis, stantes ante thronum, & in conspectu Agni, amicti stolis albis, & palmæ in manibus eorum: & clamabant voce magna, dicentes: Salus Deo nostro, qui sedet super thronum, & Agno. Et omnes Angeli stabant in circuitu throni, & seniorum, & quatuor animalium: & ceciderunt in conspectu throni in facies suas, & adoraverunt Deum, dicentes: Amen. Benedictio, & claritas, & sapientia, & gratiarum actio, honor, & virtus, & fortitudo Deo nostro, in sæcula sæculorum. Amen.

Graduale. Psalm. 33. Time Deum omnes Sancti ejus: quoniam nihil deest timentibus eum. **V.** Inquirentes autem Dominum, non deficient omni bono.

Allelúja, allelúja. **V. Matth. 11.** Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos. Allelúja.

Sequentia sancti Evangelii secundum Matthæum. **Matth. 3.**

In illo tempore: Videns Jesus turbas, ascendit in montem, & cum sedisset, accesserunt ad eum discipuli ejus, & aperiens os suum docebat eos, dicens: Beati pauperes spiritu: quoniam ipsorum est regnum cælorum. Beati mites: quoniam ipsi possidebunt terram. Beati, qui lugent: quoniam ipsi consolabuntur. Beati, qui esuriunt, & sitiunt justitiam: quoniam ipsi saturabuntur. Beati misericordes: quoniam ipsi misericordiam consequentur. Beati mundo corde: quoniam ipsi Deum videbunt. Beati pacifici: quoniam filii Dei vocabuntur. Beati, qui persecutionem patiuntur propter justitiam: quoniam ipsorum est regnum cælorum. Beati estis cum maledixerint vobis, & persecuti vos fuerint, & dixerint omne malum adversum vos, mentientes, propter me: gaudete & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cælis. **Credo.**

Offertorium. Sap. 3. Justorum animæ in manu Dei sunt, & non tanget illos

torturamentum malitiæ: visi sunt oculis insipientium mori, illi autem sunt in pace.

Secreta.

Munera tibi, Domine, nostræ devotionis offerimus: quæ & pro cunctorum tibi grata sint honore justorum, & nobis salutaria, te miserante, reddantur. Per Dominum.

Præfatio de S. P. Francisco. fol. 35.

Communio. Matth. 5. Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt: beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur: beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam, quoniam ipsorum est regnum cælorum. **Postcommunio.**

DA, quæsumus Domine, fidelibus populis omnium Sanctorum Seraphici Ordinis semper veneratione lætari: & eorum perpetua supplicatione muniri. Per Dominum.

In fine Missæ legitur Evangelium Vigilæ.

¶ Ubi dicuntur duæ Missæ; cantatur Missa Conventualis de Sanctis post Tertiam, in qua nulla fit commemoratio neque in fine legitur Evangel. Vigil. & post Nonam dicitur Missa de Vigilia, ut in Missali Romano annotatur.

FESTA DECEMBRIS.

Dio vii. Decembris.

IN FESTO S. AMBROSII Episcopi & Confessoris atque Ecclesie Doctoris.

Missæ, ut in Missali Romano; & in ea post commemoratio. Feriæ fit commemoratio Vigilæ, cum ejus Evangelio in fine Missæ, ut infra.

MISSA VIGILIE Immaculatae Conceptionis B. V. M. Introitus. Isaia 15.

Rorate cæli desuper, & nubes pluant justum: aperiat terra, & germinet Salvatorem.

Psalmus 34. Benedixisti, Domine terram tuam: avertisti captivitatem Jacob.

V. Gloria Patri.

Ora-

Oratio:

Deus, qui virginalem aulam beatæ Mariæ, in qua habitares, eligere dignatus es: da quæsumus; ut sua nos defensione munitos, jucundos facias suæ interesse festivitati: Qui vivis & regnas.

Secunda Oratio de Adventu; Tertia de Spiritu Sancto.

Lectio Isaia Prophetae. Isa. 7.

In diebus illis: Locutus est Dominus ad Achaz; dicens: Pete tibi signum à Domino Deo tuo in profundum inferni, sive in excelsum supra. Et dixit Achaz: Non petam, & non tentabo Dominum. Et dixit: Audite ergo domus David: Numquid parum vobis est, molestos esse hominibus, quia molesti estis & Deo meo? Propter hoc dabit Dominus ipse vobis signum. Ecce virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen ejus Emmmanuel. Butyrum & mel comedet, ut sciat reprobare malum, & eligere bonum.

Graduale. Psalm. 23. Tollite portas, principes vestras, & elevamini portæ æternales, & introibit Rex gloriæ.

V. Quis ascendet in montem Domini, aut quis stabit in loco sancto ejus? innocens manibus, & mundo corde.

Sequentia sancti Evangelii secundum Matthæum. **Matth. 1.**

Liber generationis Jesu Christi filii David, filii Abraham. Abraham genuit Isaac. Isaac autem genuit Jacob. Jacob autem genuit Judam, & fratres ejus. Judas autem genuit Phares, & Zaram de Thamar. Phares autem genuit Esron. Esron autem genuit Aram. Aram autem genuit Aminadab. Aminadab autem genuit Naasson. Naasson autem genuit Salmon. Salmon autem genuit Booz de Rahab. Booz autem genuit Obed ex Ruth. Obed autem genuit Jesse. Jesse autem genuit David regem. David autem rex genuit Salomonem, ex ea quæ fuit Uriæ. Salomon au-

tem genuit Roboam. Roboam autem genuit Abiam. Abias autem genuit Asa. Asa autem genuit Josaphat. Josaphat autem genuit Joram. Joram autem genuit Oziam. Ozias autem genuit Joatham. Joatham autem genuit Achaz. Achaz autem genuit Ezechiam. Ezechias autem genuit Manassen. Manasses autem genuit Amon. Amon autem genuit Josiam. Josias autem genuit Jechoniam, & fratres ejus in transmigratione Babylonis. Et post transmigrationem Babylonis, Jechonias genuit Salathiel. Salathiel autem genuit Zorobabel. Zorobabel autem genuit Abiud. Abiud autem genuit Elfacim. Elfacim autem genuit Azor. Azor autem genuit Sadoc. Sadoc autem genuit Achim. Achim autem genuit Eliud. Eliud autem genuit Eleazar. Eleazar autem genuit Mathan. Mathan autem genuit Jacob. Jacob autem genuit Joseph virum Mariæ, de qua natus est Jesus, qui vocatur Christus.

Offertorium. Lucæ 1. Ave Maria, gratia plena: Dominus tecum: Benedicta tu in mulieribus.

Secreta.

Tua, Domine propitiatione, & beatæ Mariæ semper Virginis intercessione, ad perpetuam atque præsentem hæc oblatio nobis proficiat prosperitatem & pacem. Per Dominum.

Dicitur Præfatio communis.

Communio. Isa. 7. Ecce Virgo concipiet, & pariet Filium: & vocabitur nomen ejus Emmmanuel.

Postcommunio.

Concède misericors Deus fragilitati nostræ præsidium: ut qui sanctæ Dei Genitricis festivitatem prævenimus, intercessionis ejus auxilio à nostris iniquitatibus resurgamus. Per eundem Dominum nostrum.

¶ Ubi dicuntur duæ Missæ; in Missa de S. Ambrosio post Tertiam non fit commemoratio, nec Vigilæ, nec Feriæ. Missa verò de Vigilia dicitur, ut supra post Nonam.

DIE

DIE VIII. DECEMBRIS.
IN SOLEMNITATE
IMMACULATÆ CONCEPTIONIS
B. VIRGINIS MARIÆ,
ORDINIS NOSTRI PATRONÆ.



Introitus.

Gredimini, & videte filia
Sion Regnam vestram,
quam laudant astra matu-
tina, cujus pulchritudinem
sol & luna mirantur, &
jubilent omnes filii Dei.

Psal. 83. Quam dilecta tabernacula
tua Domine virtutum! concupiscit, &
deficit anima mea in atria Domini.

V. Gloria Patri, &c. **Oratio.**

Deus, qui per Immaculatam Virgi-
nis Conceptionem dignum Filio tuo
habitaculum preparasti: quaesumus; ut
qui ex morte ejusdem Filii sui praevisa
eam ab omni labe praeservasti, nos quo-
que mundos, ejus intercessione, ad te
pervenire concedas. Per eundem Dnm.

Et fit commem. Ferie occurrentis.

Lectio libri Sapientiae. Prov. 8.

Dominus possedit me in initio vi-
arum suarum, antequam quidquam
faceret a principio. Ab aeterno ordinata
sum, & ex antiquis antequam terra fie-
ret. Nondum erant abyssi, & ego jam
concepta eram: necdum fontes aquarum
eruperant: necdum montes gravi mole
constiterant: ante colles ego parturiebar:
adhuc terram non fecerat, & flumina,
& cardines orbis terrae. Quando praeparabat
caelos, aedam: quando certa
lege & gyro vallabat abyssos: quando
aethera firmabat sursum, & librabat fon-
tes aquarum: quando circumdabat mari
terminum suum, & legem ponebat aquis,
ne transirent fines suos: quando appen-
debat fundamenta terrae. Cum eo eram
cuncta componens: & delectabar per
singulos dies, ludens coram eo omni
tempore, ludens in orbe terrarum: &
deliciae meae esse cum filiis hominum.
Nunc ergo filii audite me: Beati, qui

custodiunt vias meas. Audite discipli-
nam, & estote sapientes, & nolite ab-
jicere eam. Beatus homo qui audit
me, & qui vigilat ad fores meas quo-
tidie, & observat ad postes ostii mei.
Qui me invenerit, inveniet vitam, &
hauriet salutem a Domino.

Graduale. Qualis est dilecta nostra, cha-
rissimi? qualis est Mater, dicitur, Domi-
ni? qualis & quanta sit soror & sponsa
Christi? **V.** Dilecta nostra candida, im-
maculata, quasi aurora consurgens.

Alleluja, alleluja. V. Veni Regina no-
stra, veni Domina in hortum odoris su-
per omnia aromata. **Alleluja.**

**Tempore Paschali omittitur Gradua-
le, & additur sequens V.** Virga Jesse
floruit, Virgo Deum & hominem genuit:
pacem Deus reddidit, in se recon-
cilians ima summis. **Alleluja.**

**Post Septuagesimam, quando fit Offi-
cium per Annum, omisso Alleluja, & V.
sequenti, dicitur Tractus.** Gaude Maria
Virgo, cunctas haereses sola interemisti.
V. Quae Gabrielis Archangeli dictis cre-
didisti. **V.** Dum virgo Deum & homi-
nem genuisti, & post partum Virgo
inviolata permansisti.

V. Dei Genitrix intercede pro nobis.

**Sequentia sancti Evangelii secun-
dum Lucam. Luc. 11.**

In illo tempore: Loquente Jesu ad
turbas, extollens vocem quaedam
mulier de turba, dixit illi: Beatus
venter, qui te portavit; & ubera, quae
suxisti. At ille dixit: Quinimo beati
qui audiunt verbum Dei, & custo-
diunt illud.

**Credo. Et dicitur per totam Octavam,
& in Festis infra eam occurrentibus.**

**Offertorium. Hortus conclusus, fons
signa-**

Die x. Decembris.

IN FESTO TRANSLATIONIS
Almae Domus Lauretanæ B. V. Ma-
riæ, Missa ut in Missali Romano cir-
ca finem, cum commem. Ferie ac S.
Melchiadis Papæ & Mart. tantum!

Die xv. Decembris.

IN DIE OCTAVA
Immaculatæ Conceptionis B. V. M.
Missa dicitur, ut in die, cum com-
memor. Ferie.

Si venerit in Dominica, dicitur Missa
de eadem Dominica, sine Gloria, cum
commem. Octavæ. Dicitur Præfatio de
B. V. ut supra. Non dicitur I te Missa
est. sed Benedicamus Domino.

Die xviii. Decembris.

IN FESTO EXPECTATIONIS
Partus B. M. V.
Missa, ut in fine Missalis Romani
assignatur.

FESTA JANUARI.

Dominica secunda post Epiphaniam.

IN FESTO SS. NOMINIS JESU.
Introitus. Phil. 2.



In nomine Jesu omne genu
flectatur, caelestium, ter-
restrium, & inferorum:
& omnis lingua confiteatur,
quia Dominus Jesus
Christus in gloria est Dei

Patris. **Psal. 8.** Domine Dominus nos-
ter, quam admirabile est nomen tuum
in universa terra! **V.** Gloria Patri, &c.

Oratio.

Deus, qui Unigenitum Filium tuum
constitisti humani generis Salva-
torem, & Jesum vocari iussisti: concé-
de propitius; ut cujus sanctum Nomen
veneramur in terris, ejus quoque aspé-
ctu perfruamur in caelis. Per eundem
Dominum nostrum.

**Et fit commem. Dominice, etiam in
Missa solenni.**

Si occurrat commem. Festi simplicis,
fit in Missis tantum privatis.

B

Lé

signatus: emissiones tuæ paradisus, &
Maria: manus tuæ stillaverunt myr-
ram, mellisulque facti sunt caeli, dum
manu Domini fabricata es mater tanti
Dei.

Secreta.

Suscipere digneris per temetipsum be-
nignitatis auctorem, rogamus Do-
mine, Matris ac domus tuæ zelatorum
devotas cum hilaritate supplicationes: ut
sicut ipsa, tua gratia praeveniente, mun-
do (hodie) immunis apparuit; ita ipsi
mundam de tuæ Matris munere, te con-
cedente, exhibeant gratiarum actionem.
Per temetipsum Jesum Christum Filium
ejus: Qui vivis & regnas cum Deo Patre.

**¶ Illud (hodie) hic & in Postcom-
munionem omittitur quando de ea fit
Officium per Annum.**

**Præfatio de B. Virg. Et te in Concepti-
one. quæ dicitur per totam Oct. etiam in
Festis, nisi habuerint propriam; ac quan-
do fit Officium per Annum in Sabbatis
Communio. Gloriosa dicta sunt de te
Maria, quia fecit tibi magna qui po-
tens est.**

Postcommunio.

Odorem, Domine, sacrificii hujus
suscipe suavitatis: & præsta; ut
qui (hodie) Mariæ Conceptionem ju-
bilando celebrant, ejus salubri orati-
one fructum centuplum suæ devotionis
accipiant. Per Dominum nostrum.

**¶ Infra Oct. Immac. Conceptionis B.
Mariæ, secunda Oratio de Feria, tertia
de Spiritu sancto, nisi occurrat Festum
Duplex, vel Semiduplex, de quo tunc
fit, cum commem. Octavæ & Ferie.**

**¶ In Dominica infra Octavam, Missa
de dicta Dominica, sine Gloria, secun-
da Oratio de Octava, cum Credo,
& Præfatione de B. Maria. Et te in
Conceptione. Benedicamus Domino.
Color violaceus hac die.**

**¶ Quando verò in Sabbato per Annum
fit Offic. de Immaculata Concept. secun-
da Oratio erit de Spiritu sancto; tertia, Ec-
clesiæ tuæ, vel pro Papa, Deus omnium.**

**¶ Si autem occurrat commemoratio
alicujus Sancti, ea ponitur secundo lo-
co, & tertia Oratio dicitur, quæ alias
secundo loco dicenda erat.**

Missa SS. Ord. Conv.

Lectio Actuum Apostolorum. **Act. 4.**
In diebus illis: Petrus Spiritu sancto re-
 plētus, dixit: Principes pópuli, &
 seniores audite: Si nos hódie dijudicá-
 mur in benefácto hóm̄inis infirmi, in quo
 iste salvus factus est, notum sit ómnibus
 vobis, & omni plebi Israel: quia in nómi-
 ne Dómini nostri Jesu Christi Nazaréni,
 quem vos crucifixistis, quem Deus sus-
 citávit à mórtuis, in hoc iste astat cor-
 ram vobis sanus. Hic est lapis, qui re-
 probátus est à vobis ædificántibus, qui
 factus est in caput ánguli. Et non est
 in álio áliquo salus. Nec enim áliud no-
 men est sub cælo datum homínibus, in
 quo opórteat nos salvos fieri.

Graduale. Psalm. 105. Salvos fac nos
 Dómine Deus noster, & cóngrega nos
 de nationibus: ut confiteámur Nóm̄ini
 sancto tuo, & gloriémur in glória tua.
v. Isaia 63. Tu Dómine, pater noster,
 & redemptor noster: à sæculo Nomen
 tuum. **Allelúja, allelúja.**

v. Psalm. 144. Laudem Dómini loquétur
 os meum, & benedicat omnis caro
 Nomen sanctum ejus.

Post Septuagesimam, omissis Allelúja,
& v. sequenti, dicitur Tractus. Psal. 79.

Cant. 2. Dómine Deus virtútum convér-
 tenos: & osténde faciém tuam, & salvi
 érimus: sonet vox tua in áuribus meis.

v. Cant. 2. Vox enim tua dulcis, & fá-
 cies decóra nimis. **v. Cant. 1.** Oleum ef-
 fúsium Nomen tuum Jesu: idéo adole-
 scéntulæ dilexerunt te. **Sequentia.**

Laudá Sion Salvatóris
 Jesu Nomen, & amoris,
 Toto cordis júbilo.

Nomen sanctum nos amáre
 Decet semper & laudáre,
 Absque mentis núbilo.

Jesu Nomen potestátis,
 Atque æternæ majestátis,
 Summi Patris bráchium.

Cælos fecit, terræ molem
 Jesu Nomen, atque solem,
 Et cælesté gáudium.

Angelórum ingens coetus,
 Protoplastésque perfectus
 Fuit Jesu Nóm̄ine.

Ut aquárum magni fontes
 Sunt immíssi super montes
 Justo rerum órdine.

In Ægypto fecit signa
 Jesu Nomen, & maligna
 Pérdidit prodígia.

Scisso pélagó transvéxit
 Israël, & demérsit
 Hóstiū insignia.

Hujus Nóm̄inis virtúte
 Superbórum sunt destrúctæ
 Dæmonum poténtiæ:

Simulácrá idolórum
 Sunt evérsa: tyrannórum
 Fractæ violéntiæ.

Jesu Nomen figurátum,
 Veheménter expectátum
 Patrum desidério.

Revelátum nobis quidem
 Dedit spem, amórem, fide m,
 Máximo mystério.

Nomen ergo hoc amándum
 Toto corde, & adorándum
 Omni reveréntia.

In advérsis Nomen sanctum
 Invocétur: Jesu tantum
 Aderit præsentia.

Præsentia Deitátis,
 Et totius bonitátis
 Dulcis Jesus áderit.

Fugat morbos & livóres,
 Sed & ánimi languóres
 Jesus ubi vénerit.

Veni ergo Jesu bone
 Et te cordi nostro pone
 Nóbile signáculum. Amen. **[Allelúja.]**

si dicendum sit.

✠ Sequentia sancti Evangelii se-
 cundum Lucam. **Luc. 2. c.**

In illo témpore: Postquam consum-
 máti sunt dies octo, ut circumcide-
 rétur puer: vocátum est Nomen ejus
 Jesus, quod vocátum est ab Angelo,
 priúsquam in útero conciperétur.

Et dicitur Credo.
Offertorium. Psalm. 85. Confitébor tibi
 Dómine Deus meus in toto corde meo:
 & glorificábo Nomen tuum in ætérnum:
 Quóniam tu Dómine suávis & mitis es,
 & mul-

& multæ misericórdiæ ómnibus invo-
 cántibus te, allelúja. **Secreta.**

Benedictio tua, clementíssime Deus,
 qua omnis viget creatúra, sanctifi-
 cet, quæsumus, hoc sacrificium no-
 strum, quod ad glóriam nóminis Filii
 tui Dómini nostri Jesu Christi offerimus
 tibi: ut majestáti tuæ placére possit ad
 laudem, & nobis proficere ad salutem.
 Per eúmdem Dóminum nostrum.

Præfatio de Nativitate.

Communio. ibid. Omnes Gentes quæ-
 cúmque fecisti, vénient, & adorábunt
 coram te Dómine, & glorificábunt No-
 men tuum: quóniam magnus es tu, &
 fáciens mirabilia: tu es Deus solus,
 allelúja. **Postcommunio.**

Omnipotens æternæ Deus, qui creá-
 sti & redemísti nos, respice propi-
 tius vota nostra: & sacrificium salutá-
 ris hóstiæ, quod in honórem Nóm̄inis
 Filii tui Dómini nostri Jesu Christi ma-
 jestáti tuæ obtúlimus, plácido & benigno
 vultu suscipere dignéris; ut, grátia tua
 nobis infúsa, sub glorióso Nóm̄ine Jesu
 æternæ prædestinátionis título gaudeá-
 mus nómina nostra scripta esse in cælis.
 Per eúmdem Dóminum nostrum.

**In fine legitur Evangelium Dominicæ
 secundæ post Epiphaniam.**

Die xvi. Januarii.

**INFESTO SS. BERARDI, PETRI,
 Accursii, Adjuti, atque Othonis
 Nostri Ordinis Protomartyrum.**

Intróitus. Psalm. 33.



Ultæ tribulátiones justó-
 rum, & de his ómnibus li-
 berávit eos Dóminus: Dó-
 minus custódit ómnia ossa
 eórum: unum ex his non
 conterétur.

Psal. ibid. Benedicam Dóminum in omni
 témpore: semper laus ejus in ore meo.
v. Glória Patri, &c. Oratio.

Deus, qui sanctorum Mátyrum tuó-
 rum Berárdi, Petri, Accursii, Ad-
 júti, atque Othonis glorióso certám̄ine
 Ordinis Minórum inítia consecrásti:
 concéde nobis fámulis tuis; ut quo-

rum lætámur triúmphis, eorum vir-
 tutes imitémur. Per Dóminum.
**Lectio Epistolæ beati Pauli Apóstoli
 ad Corínthios. 1. Cor. 4.**

Fratres, Spectáculum facti sumus
 mundo, & Angelis, & homínibus.
 Nos stulti propter Christum, vos autem
 prudéntes in Christo: nos infirmi, vos
 autem fortes: vos nóbiles, nos autem
 ignóbiles. Usque in hanc horam & esu-
 rímus, & sitímus, & nudi sumus, &
 coláphis cædimur, & instábiles sumus,
 & laborámus operántes má nibus nostris:
 maledícimur, & benedicimus: persecu-
 tionem pátimur, & sustinémus: blasphemá-
 mur, & obsecrámus: tamquam pur-
 gaménta hujus mundi facti sumus, ó-
 mnium peripséma usque adhuc. Non ut
 confundam vos, hæc scribo, sed ut fi-
 lios meos charíssimos móneo: in Chri-
 sto Jesu Dómino nostro.

Graduale. Psal. 78. V Indica Dómine sán-
 guinem sanctorú tuórum, qui effúsus est.
v. Posuerunt morticina fervórum tuó-
 rum, Dómine, escas volatíbilibus cæli;
 carnes sanctorum tuórum béstiis terræ.
Allelúja, allelúja.

v. Hæc est vera fraternitas, quæ vicit
 mundi crimina: Christum secúta est,
 ínclýta tenens regna cælestia. **Allelúja.**

**Post Septuagesimam, omissis Allelúja,
 & Versu sequenti, dicitur Tractus.
 Psal. 125.** Qui séminant in lácrymis, in
 gáudio metent. **v.** Eúntes ibant & fle-
 bant, mitténtes sémina sua. **v.** Veniéntes
 autem vénient cum exultátione, por-
 tántes mánpulos suos.

✠ Sequentia sancti Evangelii secun-
 dum Matthæum. **Matth. 10.**

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis
 suis: Ecce ego mitto vos sicut oves in
 médio lupórum. Estóte ergo prudén-
 tes sicut serpéntes, & simplices sicut colúmbæ.
 Cavéte autem at homínibus.
 Tradent enim vos in concíliis, & in sy-
 nagógis suis flagellábun tvos: & ad præ-
 fides & ad reges ducém̄ini propter me,
 in testimónium illis, & géntibus. Cum
 autem tradent vos, nolíte cogitare quó-
 modo,

modo, aut quid loquámini: dábitur enim vobis in illa hora, quid loquámini. Non enim vos estis qui loquámini, sed Spíritus Patris vestri, qui loquitur in vobis. Tradet autem frater fratrem in mortem, & pater filium: & insúrgent filii in parentes, & morte eos afficient: & éritis ódio ómnibus propter nomen meum: qui autem perseveráverit usque in finem, hic salvus erit. **Credo.**

Offertorium. Sap. 3. Justórum animæ in manu Dei sunt, & non tanget illos tormentum malitiæ: visi sunt óculis insipientium mori, illi autem sunt in pace, allelúja. **Secreta.**

Pro pretiósa, Dómine, tuórum morte Sanctórum sacrificium istud offérimus: quo opem tuam nostris temporibus cleméter impédas, & grátiam nobis veræ devotiónis exhibeas. Per Dñm.

Communio. Luc. 12. Dico autem vobis amicis meis: Ne terreámini ab his, qui vos persequúntur. **Postcommunio.**

Cæléstia, Dómine, dona quæ súmptuosus, vitam nobis tríbuant sempitérnam: quam cum beatórum Mártýrum tuórum Berárdi, Petri, Accúrsii, Adjúti, atque Othónis gloriósis méritis implorámus. Per Dóminum.

Die xxiii. Januarii.

IN FESTO DESPONSATIONIS

Beatæ Mariæ Virginis.

Missa, ut in fine Missalis Romani assignatur; cum commem. S. Joseph ante quascumque commem. etiam Dominicæ, deinde S. Emerentianæ Virg. & Mart. ibidem.

Die xxx. Januarii.

IN FESTO B. HYACINTHÆ

Virginis, **Missa, Dilexisti. de Comuni Virg. primo loco. Oratio.**

Deus, qui beatam Hyacintham Virginem tuam jugis mortificationis & charitatis victimam effecisti: ejus nobis exémplo & intercessiõe concéde; ut peccáta nostra deslere, & te semper diligere valeámus. Per Dóminum.

Non dicitur Credo.

FESTA FEBRUARII.

Die i. Februarii.

IN FESTO B. ANDREÆ
de Comitibus Confessoris.

Missa, Os justi. de Comuni Confessoris non Pontif. primo loco. Non dicitur Credo.

Die iii. Februarii.

IN FESTO B. VERIDIANÆ
Virginis.

Missa, Dilexisti. de Comuni Virg. cum commem. S. Blasii Episc. & Martyr. Non dicitur Credo.

Die iv. Februarii.

IN FESTO S. JOSEPHI
à Leonissa Confessoris.

Missa, Justus ut palma. de Comuni Confessoris non Pontificis secundo loco, præter Orationem sequentem, & Evangelium.

Oratio.

Deus fidélium remunerátor servórum, qui beatum Joséphum exímium in Evángélica prædicatiõe operárium effecisti: ejus quæsumus intercessiõe concéde; ut à grato tibi servitio numquam celsémus in terris, & plenam à te mercédem recipiámus in cælis. Per Dóminum.

Evangelium. Designávit Dóminus. sumatur ex Festo S. Marci Evangelistæ 25. Aprilis, in Missali. Non dicitur Credo.

Die vi. Februarii.

IN FESTO S. MARCELLI
Papæ & Martyris.

Missa, ut in Missali Romano die 16. Januarii, cum commem. S. Dorotheæ Virg. & Mart. Non dicitur Credo.

Die ix. Februarii.

IN FESTO S. RAYMUNDI
de Peñafort Confessoris.

Missa, Os justi. de Comuni Conf. non Pontif. cum Oratione propria, ut in Missali Romano die 23. Januarii, & cum

& cum commem. S. Apolloniæ Virg. & Martyr. Non dicitur Credo.

Die xi. Februarii.

IN FESTO S. MARTINÆ
Virginis & Martyris.

Missa, ut in Missali Romano die 30. Januarii.

Die xii. Februarii.

IN FESTO B. LUDOVICÆ
Viduæ. **Missa, Cognóvi. de Comuni nec Virg. nec Mart. Oratio.**

Deus, qui beatæ Ludovicæ inter ceteras egrégias dotes insignem erga Christi páuperes charitátis prærogatívam misericórditer contulisti: concéde nobis sámulis tuis, ejus suffragántibus méritis, charitátem, qua te super ómnia toto cordis afféctu diligere valeámus. Per Dóminum. **Sine Credo.**

Die xiii. Februarii.

IN FESTO S. IGNATII
Episcopi & Martyris.

Missa, ut in Missali Romano die 1. Februarii.

Die xiv. Februarii.

IN FESTO BB. PETRI-BAPTISTÆ
& Sociorum Mart. Japonentium.

Introitus. Psalm. 36.



Alus autem justórum à Dómino: & protéctor eórum est in témpore tribulatiónis. **Psalm. ibid. Noli æmulári in malignántibus: neque zeláveris faciéntes iniquitatem. v. Gloria Patri. Oratio.**

Deus, qui primitias fidei apud Japoniæ gentes beatórum Mártýrum Petri-Baptistæ, & Sociórum ejus ságuine dedicásti: concéde propítius; ut ad tui nóminis confessiõe, quórum excitámur exémpis, eórum précebus adjuvémur. Per Dóminum.

Et fit commem. S. Valentini Presbyteri & Martyris. Oratio.

Præsta quæsumus omnipotens Deus: ut qui beati Valentini Mártýris tuina-Missæ SS. Ord. Conv.

talltia cólimus, à cunctis malis imminéntibus, ejus intercessiõe, liberémur. Per Dóminum nostrum.

Léctio Epístolæ beati Pauli Apóstoli ad Hebræos. **Heb. 10. f**

Fratres, Rememorámini prístinos dies, in quibus illumináti, magnum certámen sustinuístis passiónum, & in áltero quidem, oppróbriis & tribulatióibus spectáculum facti: in áltero autem sócii táliter conversántium effécti. Nam & vincitis compássi estis, & rapinam bonórum vestrórum cum gáudio suscepístis, cognoscéntes vos habére meliorem & manéntem substántiam. Nolíte itaque amittere confidéntiam vestram, quæ magnam habet remuneratiõe. Patiéntia enim vobis necessária est: ut voluntátem Dei faciéntes, reportétis promissiõe. Adhuc enim módicum aliquántulum, qui ventúrus est, veniet, & non tardábit. Justus autem meus ex fide vivit.

Graduale. Psal. 33. Clamavérunt justi, & Dóminus exaudivit eos: & ex ómnibus tribulatióibus eórum liberávit eos. **v. Juxtà est Dóminus his, qui tribuláto sunt corde, & húmiles spíritu salvábit. Allelúja, allelúja.**

v. Hæc est vera fraternitas, quæ vicit mundi crimina: Christum secúta est, ínclýta tenens regna cæléstia. Allelúja.

Post Septuagesimam, ommissis Allelúja, & Versu sequenti, dicitur Tractus. Psalm. 125. Qui séminant in lácrymis, in gáudio metent. v. Eúntes ibant, & flebant, mitténtes sémina sua.

v. Veniéntes autem venient cum exultatiõe, portántes manípulos suos.



Sequéntia sancti Evángélii secúndum Lucam. Lucæ 6. c

In illo témpore: Descéndens Jesus de monte, stetit in loco campéstri, & turba discipulórum ejus, & multitudó copiósa plebis ab omni Judæa, & Jerúsalem, & marítima, & Tyri, & Sidónis, qui vénerant ut audírent eum, & sanaréntur à languóribus suis. Et qui vexabántur à spíritibus immúndis, curabántur.

Beatus Pacificus —
largitor omnium bonorum
Deus, qui beatum Pacificum
cum confessorum tuum,
eximia patientia virtute
et solitudinis amore deco-
rasti; eius nobis intercessi-
one concede, ut per eadem
vestigia gradientes, eadem
assequamur et premia.
Per D. N. S. P.

vinculis liberati, pura tibi mente servire valeamus. Per Dominum.

In Quadrag. in Anno Communi, primo fit commemoratio. Feriæ postea Vigilæ S. Mathiæ. In Anno autem Bissextili, nisi fuerit Sabbatum, fit commemoratio. Fer. tantum. Ante Quadrages. verò in Anno Communi, fit commemoratio. Vigilæ.

Lectio libri Sapientiæ. Cant. 3.

Surgam, & circumibo civitatem: per vicus & plateas quæram quem diligit anima mea: quæsiivi illum, & non inveni. Invenérunt me vigiles, qui custodiunt civitatem. Num quem diligit anima mea, vidistis? Paululum cum pertransissem eos, inveni quem diligit anima mea: tenui eum, nec dimittam, donec introducam illum in domum matris meæ, & in cubiculum genitricis meæ. Adjuro vos filiæ Jerúsalem per capreas cervosque camporum, ne suscitatis, neque evigilare faciatis dilectam, donec ipsa velit. Pone me ut signaculum super cor tuum, ut signaculum super brachium tuum: quia fortis est ut mors dilectio: dura sicut infernus æmulatio, lampades ejus, lampades ignis atque flammarum. Aquæ multæ non poterunt extinguere charitatem, nec flumina obruent illam: si dederit homo omnem substantiam domus suæ pro dilectione, quasi nihil despiciet eam.

Graduale. Psal. 44. Diffusa est gratia in labiis tuis: propterea benedixit te Deus in æternum. *v.* Propter veritatem, & mansuetudinem, & justitiam: & deducet te mirabiliter dextera tua.

Tractus. Veni Sponsa Christi, accipe coronam, quam tibi Dominus præparavit in æternum.

v. Dilixisti justitiam, & odisti iniquitatem: propterea unxit te Deus Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis. *v.* Spécie tua & pulchritudine tua intendente, prospere procede, & regna.

Sequentia sancti Evangelii secundum Lucam. Lucæ 11.

In illo tempore: Erant appropinquantes ad Jesum publicani & peccatores

ut audirent illum. Et murmurabant Pharisei & Scribæ, dicentes: Quia hic peccatores recipit, & manducat cum illis. Et ait ad illos parabolam istam, dicens: Quis ex vobis homo, qui habet centum oves: & si perdidit unam ex illis, nonne dimittit nonagintanovem in deserto, & vadit ad illam quæ perierat, donec inveniat eam? Et cum invenit eam, imponit in humeros suos gaudens: & veniens domum, convocat amicos & vicinos, dicens illis: Congratulamini mihi, quia inveni ovem meam, quæ perierat. Dico vobis, quod ita gaudium erit in celo super uno peccatore poenitentiam agente, quam super nonagintanovem justis, qui non indigent poenitentia. Aut quæ mulier habens drachmas decem, si perdidit drachmam unam, nonne accendit lucernam, & evérit domum, & quærit diligenter, donec inveniat? Et cum invenit, convocat amicas & vicinas dicens, Congratulamini mihi, quia inveni drachmam, quam perdideram. Ita dico vobis, gaudium erit coram Angelis Dei super uno peccatore poenitentiam agente.

Non dicitur Credo.
Offertorium. ibid. Diffusa est gratia in labiis tuis: propterea benedixit te Deus in æternum, & in sæculum sæculi. **Secreta.**

Placationis hostia, quam tibi offerimus, Domine, beatæ Margaritæ interveniente suffragio, optatæ nobis indulgentiæ plenitudinem largiatur. Per Dominum nostrum.

Communio. ibid. Dilixisti justitiam, & odisti iniquitatem: propterea unxit te Deus Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis. **Postcommunio.**

Uberes, Domine, sanctæ tuæ Margaritæ lacrymæ duritiem nostri cordis emolliant: ut per hujus virtutem Sacramenti debitas reatibus flammis incessanti fletu extinguiamus. Per Dominum.

In fine Missæ, in Quadrages. legitur Evangel. Fer. Ante Quadrages. verò, in Anno Communi Evangel. Vigilæ.

Ubi dicuntur duæ Missæ: in Missa de Festo

Festo post Tertiam nulla fit commemoratio. Post Nonam verò, in Anno Communi ante Quadrag. dicitur Missa de Vigilæ, ut in Missali Romano; & in Quadrag. Missa de Feriæ, cum secunda Oratione de Vigilæ, & tertia, A cunctis.

Feria sexta post Dominicam Sexagesimæ.

**IN FESTO SACRORUM
QUINQUE VULNERUM DOMINI
NOSTRI JESU CHRISTI.**

Missa, Humiliavit. ut in fine Missalis Romani inter Votivas de Passione D. N. Jesu Christi assignatur, exceptis Orationibus. Et dicitur Credo. Oratione.

Deus, qui Unigeniti Filii tui passionem, & per quinque Vulnera ejus Sanguinis effusione, humanam naturam peccato perditam reparasti: tribue nobis, quæsumus; ut qui ab eo suscepta Vulnera veneramur in terris, ejusdem pretiosissimi Sanguinis fructum consequi mereamur in cælis. Per eundem Dominum. **Secreta.**

Majestati tuæ, quæsumus Domine, accepta sint dona: in quibus ipsa Unigeniti tui Vulnera tibi offerimus, nostræ prætia libertatis. Per eundem Dominum. **Postcommunio.**

Resecti vitalibus alimoniis, quæsumus Domine Deus noster: ut qui Vulnera Domini nostri Jesu Christi hodie devotè colimus, hæc in nostris cordibus impressa moribus & vita teneamus. Per eundem Dominum.

FESTA MARTII.

Die v. Martii.

IN FESTO B. ROGERII

Confessoris.

Missa, O s just. de Communi Confess. non Pontificis primo loco.

Non dicitur Credo.

Die vi. Martii.

IN FESTO B. COLETÆ

Virginis.

Missa, Vultum tuum. de Communi Virg. cum Evangel. Decem Virginibus.

Oratione.

Domine Jesu Christe, qui beatam Colètam sponsam tuam innumeris dōtibus decorasti: tribue quæsumus; ut quo spiritu Seraphicam regulam pristinae puritati restituit, eodem intus reformari mereamur: Qui vivis & regnas. **Non dicitur Credo.**

Die ix. Martii.

IN FESTO S. CATHARINÆ

Virginis Bononiensis.

Missa, Vultum tuum. de Communi Virg. præter Evang. Decem Virginibus. quod sumitur ex Missa præcedenti. Dilixisti. & Orationes, ut infra.

Non dicitur Credo. Oratione.

Concede nos famulos tuos, Deus, beatæ Catharinæ Virginis suffragiis adjuvari: cujus odore unguentorum trahimur ad tua sancta lætantes. Per Dominum nostrum.

Et fit commemoratio. Feriæ occurrentis.

Secreta.

Illo nos igne in hoc sacrificio offerendo, fac, quæsumus Domine, vehementer incendi: quo beata Catharina Virgo seipsam tibi offererat, & jūgiter famulari. Per Dominum. **Postcommunio.**

Majestatem tuam Domine suppliciter exoramus: ut sicut beatæ Catharinæ Virginis corpus incorruptum servasti; ita nos facias per hæc sancta, quæ sumpsimus, ab omni culpæ labi servari. Per Dominum.

Die xi. Martii.

IN FESTO S. FRANCISCÆ

Romanæ Viduæ, Missa, ut in Missali Romano die 9. Martii.

Die xiv. Martii.

IN FESTO TRANSLATIONIS

S. Bonaventuræ Episcopi & Confess. atque Ecclesiæ Doctoris.

Missa, ut infra in ejus die Natali 14. Julii. Oratione.

Deus, qui beatum Pontificem Bonaventuram Ecclesiæ tuæ Doctorem tribuisti: concede propitius; ut cujus

cujus Translationem colimus, eundem apud te intercessorem iugiter habeamus. Per Dominum.

Et fit commemor. Feriæ.

Die xviii. Martii.

IN FESTO S. GABRIELIS

Archangeli.

Missæ, Benedicite Dominum. ut in fine Missali Romani assignantur pro Regnis Hispanis.

Die xxii. Martii.

IN FESTO S. BENVENUTI

Episcopi & Confessoris.

Missæ, Sacerdotes tui. de Comuni Confessoris Pontificis secundo loco. Non dicitur Credo.

Die xxiii. Martii.

IN FESTO B. SALVATORIS

ab Horta Confessoris.

Missæ, Justus. de Comuni Confess. non Pontif. secundo loco. Sine Credo.

Die xxx. Martii.

IN FESTO B. ANGELÆ

de Fulgineo, Viduæ.

Missæ, Cognovi. de Comuni, nec Virgin. nec Martyrum. Non dicitur Credo.

FESTA APRILIS.

Die iii. Aprilis.

IN FESTO B. BENEDICTI

à S. Philadelpho, Confessoris.

Missæ, Justus ut palma. de Comuni Confessoris non Pontificis, secundo loco, præter Orationem sequentem. Oratio.

Deus, qui beatum Benedictum Confessorem tuum cælestibus donis locupletasti, eumque in Ecclesia tua signis & virtutibus coruscare fecisti: præsta quæsumus; ut ejus meritis & precibus tua beneficia capiamus. Per Dominum. Sine Credo.

Die xii. Aprilis.

IN FESTO B. ANGELI

à Clavasio, Confessoris.

Missæ, Os justi. de Comuni Confess.

non Pontif. primo loco; Oratio verò; Adesto Domine. de eodem Comuni secundo loco. Sine Credo.

Die xx. Aprilis.

IN FESTO B. JACOBI ILLYRICI

Confessoris.

Missæ, Justus ut palma. de Comuni Confess. non Pontif. secundo loco. Non dicitur Credo.

Die xxiv. Aprilis.

IN FESTO S. FIDELIS

à Sigmaringa Martyris.

Missæ, Protexisti. de Comuni Mart. temporis Paschalis. Oratio.

Deus, qui beatum Fidelem Seraphico spiritus ardore succensum in veræ Fidei propagatione martyrii palma, & gloriolis miraculis decorare dignatus es: ejus quæsumus meritis & intercessione ita nos per gratiam tuam in fide & charitate confirma, ut in servitio tuo fideles usque ad mortem inveniri mereamur. Per Dominum. Sine Credo.

Secreta. Muneribus nostris. Postcommunio. Da, quæsumus Domine. ut in eadem Missa.

Si verò hoc Festum transferatur extra tempus Pasch. dicitur Missæ. In virtute. de Comuni unius Mart. cum Oratione, ut supra; & Evangelio. Si quis venit ad me. ut in Missa unius Mart. Pontif.

Die xxviii. Aprilis.

IN FESTO B. LUCII

Confess. Missæ, Justus. de Comuni Confess. non Pontif. secundo loco.

Non dicitur Credo.

Dominica tertia post Pascha.

IN FESTO PATROCINII

S. Joseph Sponsi B. M. V.

Introitus. Psal. 22.

Adjuutor & Protector noster est Dominus, in eo lætabitur cor nostrum: & in nomine sancto ejus speravimus, allelúja, allelúja.

Psalm. 79. Qui regis Israel, intende: qui deducis velut ovem Joseph.

Gló-

Glória Patri, &c.

Oratio.

Deus, qui ineffabili providentia beatum Joseph Sanctissimæ Genitricis tuæ Sponsum eligere dignatus es: præsta, quæsumus; ut quem Protectorem veneramur in terris, Intercessorem habere mereamur in cælis: Qui vivis & regnas.

Et fit commemor. Dominicæ tertiæ post Pascha.

Lectio libri Génesis.

Cap. 49.

Filius accrescens Joseph, filius accrescens & decorus aspectu: filiae discurrerunt super murum. Sed exasperaverunt eum, & jurgati sunt, invideruntque illi habentes jacula. Sedit in forti arcus ejus, & dissoluta sunt vincula brachiorum & manuum illius per manus potentis Jacob: inde Pastor egressus est lapis Israel. Deus patris tui erit adjutor tuus, & omnipotens benedictet tibi benedictionibus cæli desuper, benedictionibus abyssi jacentis deorsum, benedictionibus uberum & vulvæ. Benedictiones patris tui confortatæ sunt benedictionibus patrum ejus: donec veniret desiderium collium æternorum. Fiant in capite Joseph, & in vertice Nazaræi inter fratres suos. Allelúja, allelúja.

De quacúmque tribulatione clamaverint ad me, exaudiam eos, & ero Protector eorum semper. Allelúja.

Fac nos innocuam, Joseph, decurrere vitam, sitque tuo semper tuta Patrocínio. Allelúja.



Sequentia sancti Evangelii secundum Lucam. Luc. 3.

In illo tempore: Factum est autem cum baptizaretur omnis populus, & Jesu baptizato, & orante, apertum est cælum: & descendit Spiritus sanctus corporali specie sicut columba in ipsum: & vox de cælo facta est: Tu es Filius meus dilectus, in te complacui mihi. Et ipse Jesus erat incipiens quasi annorum triginta, ut putabatur, Filius Joseph.

Dicitur Credo. si celebretur in Dominica, alias omittitur.

Offertorium. Psal. 147. Lauda Jerusalem Dominum: quoniam confortavit feras

portarum tuarum, benedixit filiis tuis in te, allelúja, allelúja. Secreta.

Sanctissimæ Genitricis tuæ Sponsi Patrocínio suffulti, rogamus Domine clementiam tuam, ut corda nostra facias terræna cuncta despiciere, ac te verum Deum perfectæ charitate diligere: Qui vivis & regnas.

Communio. Matth. 1. Jacob autem genuit Joseph virum Mariæ, de qua natus est Jesus, qui vocatur Christus, allelúja, allelúja. Postcommunio.

Divini muneris fonte refecti, quæsumus Domine Deus noster: ut, sicut nos facis beati Joseph protectione gaudere; ita ejus meritis & intercessione cælestis gloriæ facias esse participes. Per Dominum.

In fine legitur Evangelium Dominicæ.

FESTA MAJI.

Die xiii. Maji.

IN FESTO S. PETRI REGALATI

Confessoris.

Missæ, Os justi. de Comuni Confessoris non Pontificis, primo loco.


Oratio.

Deus, qui dilectum famulum tuum Petrum carne mortificatum ad delicias gloriæ tuæ assumere dignatus es: concede propitius; ut ad delectationes, quæ in dextera tua sunt usque in finem, meritis ejus & intercessione pervenire valeamus. Per Dñm. Dicitur Credo.

Die xvii. Maji.

IN FESTO SANCTI PASCHALIS

Confessoris. Introitus. Psal. 36.



Justi meditabitur sapientiam, & lingua ejus loquetur judicium: lex Dei ejus in corde ipsius, allelúja, allelúja.

Psalmus ibid. Noli æmulari in malignantibus, neque zelaveris facientes iniquitatem.

Glória Patri, &c.

Oratio.

Deus, qui beatum Paschalem Confessorem tuum mirifica ergo Corporis

poris & Sanguinis tui sacra mysteria dilectione decorasti: concede propitius; ut quam ille ex hoc divino convivio spiritus percipit pinguedinem, eandem & nos percipere mereamur: Qui vivis & regnas, &c.

Lectio Epistolae beati Pauli Apostoli ad Corinthios. **1. Cor. 1.**

Fratres, Videte vocationem vestram, quia non multi sapientes secundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles: sed quae stulta sunt mundi, elegit Deus, ut confundat sapientes: & infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia: & ignobilia mundi, & contemptibilia elegit Deus, & ea quae non sunt, ut ea quae sunt destrueret: ut non gloriatur omnis caro in conspectu ejus. Ex ipso autem vos estis in Christo Jesu, qui factus est nobis sapientia a Deo, & justitia, & sanctificatio, & redemptio: ut quemadmodum scriptum est: Qui gloriatur, in Domino gloriatur.

Alleluja, alleluja. **Ps. Jac. 1.** Beatus vir, qui suffert tentationem: quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitae. Alleluja. **Ps. Eccli. 45.** Amavit eum Dominus, & ornavit eum, stolam gloriae induit eum. Alleluja.

Sequentia sancti Evangelii secundum Matthaeum. Matth. 11. d.

In illo tempore: Respondens Jesus, dixit: Confiteor tibi Pater, Domine caeli & terrae, quia abscondisti haec a sapientibus & prudentibus, & revelasti ea parvulis. Ita Pater: quoniam sic fuit placitum ante te. Omnia mihi tradita sunt a Patre meo. Et nemo novit Filium, nisi Pater: neque Patrem quis novit, nisi Filius, & cui voluerit Filius revelare. Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos. Tollite jugum meum super vos, & discite a me, quia mitis sum & humilis corde: & inveniatis requiem animabus vestris. Jugum enim meum suave est, & onus meum leve.

Non dicitur Credo.

Oratorium. Psal. 88. Veritas mea &

miserericordia mea cum ipso: & in nomine meo exaltabitur cornu ejus, alleluja.

Secreta.

Accepta sit tibi, Domine, haec hostia placationis & laudis: & praesta; ut qui tuum jugiter imploramus auxilium, beati Paschalis intercessione, quod fideliter petimus, efficaciter consequamur. Per Dominum.

Communio. Matth. 24. Beatus servus, quem, cum venerit Dominus, invenerit vigilantem: amen dico vobis, super omnia bona sua constituet eum, alleluja.

Postcommunio.

Corporis tui sacri & pretiosi Sanguinis replenti libamine, quaesumus Domine Deus noster: ut, intercedente beato Paschale Confessore tuo, caelestis beatitudinis tribuas nos esse consortes: Qui vivis & regnas, &c.

Si celebretur extra tempus Paschale, dicitur Missa, Os justi. de Communi Conf. non Pontif. cum Orationibus, Epistola, & Evangelio propriis, ut supra.

Die xix. Maji.

IN FESTO SANCTI IVONIS Confessoris.

Missa, Os justi. de Communi Conf. non Pontif. primo loco. Oratio.

Deus, qui ad animarum salutem & pauperum defensionem beatum Ivonem Confessorem tuum insignem ministrum elegisti: quaesumus; ut ejusdem nos tribuas & charitatem imitari, & apud te patrocinii communiri. Per Dominum nostrum.

Et fit commemor. S. Pudencianae Virg. Non dicitur Credo.

Die xx. Maji.

IN FESTO S. BERNARDINI Confessoris. Introitus. Psal. 144.



Audationem Domini loquitur os meum: & benedicat omnis caro nomini sancto ejus in saeculum & in saeculum saeculi. **Psal. 144.** Exaltabo te Deus meus rex: & benedicam nomini tuo. **Ps. Gloria Patri.**

Ora-

Oratio.

Domine Jesu, qui beato Bernardino Confessori tuo eximium sancti Nominis tui amorem tribuisti: ejus, quaesumus, meritis & intercessione, Spiritum nobis tuae dilectionis benignus infunde: Qui vivis. in unitate ejusdem.

Lectio Epistolae beati Pauli Apostoli ad Colossenses. **Coloss. 3.**

Fratres: Mortificate membra vestra, quae sunt super terram: fornicationem, immunditiam, libidinem, concupiscentiam malam, & avaritiam, quae est simulacrorum servitus: propter quae venit ira Dei super filios incredulitatis: in quibus & vos ambulastis aliquando, cum viveretis in illis. Nunc autem deponite & vos omnia: iram, indignationem, malitiam, blasphemiam, turpem sermonem de ore vestro. Nolite mentiri invicem, expoliantes vos veterem hominem cum actibus suis, & induentes novum, eum qui renovatur in agnitionem secundum imaginem ejus, qui creavit illum.

Graduale. Psal. 36. Os justi meditabitur sapientiam, & lingua ejus loquetur iudicium. **Ps. Lex Dei ejus in corde ipsius: & non supplantabuntur gressus ejus.**

Alleluja, alleluja. **Ps. Olee 14.** Justus germinabit sicut liliolum: & florabit in aeternum ante Dominum. Alleluja.

Temp. Pasch. omititur Graduale, & additur sequens. Ps. Jac. 1. Beatus vir, qui suffert tentationem: quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitae. Alleluja.

Sequentia sancti Evangelii secundum Matthaeum. Matth. 19.

In illo tempore: Dixit Petrus ad Jesum: Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te: quid ergo erit nobis? Jesus autem dixit illis: Amen dico vobis, quod vos, qui secuti estis me, in regeneratione, cum sederit Filius hominis in sede maiestatis suae, sedebitis & vos super sedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Israel. Et omnis, qui reliquerit domum, vel fratres, aut fo-

ros, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam aeternam possidebit. **Credo.**

Offertorium. Psal. 5. Gloriantur in te omnes, qui diligunt nomen tuum: quoniam tu benedices iusto. **Secreta.**

Oblata tibi, Domine, munera suscipe propitius: & praesta; ut, intercedente beato Bernardino Confessore tuo, te solum Deum puro corde sectemur. Per Dominum.

Communio. Habac. 3. Ego autem in Domino gaudebo, & exultabo in Deo Jesu meo. **Postcommunio.**

Pretiosi Corporis & Sanguinis tui, quaesumus Domine, perceptio nos muniat: & beati Bernardini suffragantibus meritis in tui nominis tribuat amore proficere: Qui vivis & regnas.

Die xxi. Maji.

IN FESTO S. FELICIS a Cantalicio Confessoris.

Introitus. 1. Reg. cap. 2.

Dominus pauperem facit & ditat, humiliat & sublevat: suscitavit de pulvere egenum, & de stercore elevavit pauperem, ut sedeat cum Principibus, & solium gloriae teneat. **Psal. 68.** Videant pauperes, & laetentur: quaerite Deum, & vivet anima vestra: quoniam exaudivit pauperes Dominus. **Ps. Gloria Patri, &c.**

Oratio.

Fac nos, Domine Jesu, in simplicitate & innocentia cordis nostri ambulare: quarum amore de sinu Matris inter beati Felicis Confessoris tui brachia descendisti: Qui vivis & regnas.

Lectio Epistolae beati Pauli Apostoli ad Colossenses. **Coloss. 3.**

Fratres: Induite vos sicut electi Dei, Sancti, & dilecti, viscera misericordiae, benignitatem, humilitatem, modestiam, patientiam: supportantes invicem, & donantes vobismetipsis, si quis adversus aliquem habet querelam: sicut & Dominus donavit vobis, ita & vos. Super

Super omnia autem hæc, charitatem habete, quod est vinculum perfectionis: & pax Christi exultet in cordibus vestris, in qua & vocati estis in uno corpore: & grati estote. Verbum Christi habitet in vobis abundanter in omni sapientia, docentes, & commonentes vosmetipsos, Psalmis, Hymnis, & Canticis spiritualibus in gratia cantantes in cordibus vestris Deo. Omne quodcumque facitis in verbo aut in opere, omnia in nomine Domini Jesu Christi gratias agentes Deo, & Patri per ipsum.

Graduale. Psal. 17. Misit de summo, & accepit me, & assumpsit me de aquis multis. *Ps.* Et retribuet mihi Dominus secundum justitiam meam, & secundum puritatem manuum mearum in conspectu oculorum ejus.

Alleluja, alleluja. *Psal. 30.* Benedictus Dominus, quoniam mirificavit misericordiam suam mihi in civitate munita. Alleluja.

Temp. Pasch. Alleluja, alleluja.

Psal. 26. Unam petii a Domino, hanc requiram: ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vite mee, ut videam voluptatem Domini. Alleluja.

Psalm. 67. Parasti in dulcedine tua pauperi Deus. Alleluja.

Sequentia sancti Evangelii secundum Matthæum. Matth. 11.

In illo tempore: Respondens Jesus, dixit: Confiteor tibi Pater, Domine cæli & terræ, quia abscondisti hæc a sapientibus & prudentibus, & revelasti ea parvulis. Ita Pater: quoniam sic fuit placitum ante te. Omnia mihi tradita sunt a Patre meo. Et nemo novit Filium, nisi Pater: neque Patrem quis novit, nisi Filius, & cui voluerit Filius revelare. Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos. Tollite jugum meum super vos, & discite a me, quia mitis sum, & humilis corde: & inveniatis requiem animabus vestris. Jugum enim meum suave est, & onus meum leve.

Non dicitur Credo.

Offertorium. Sap. 10. Honestavit illum in laboribus, & complévit labores illius. **Secreta.**

Ad esto votis nostris, clementissime Deus: ut hæc oblatio salutaris, quæ in honorem beati Felicis persolvitur, ad delictorum nostrorum veniam impetrandam in odorem suavitatis ascéndat. Per Dominum.

Communio. Cant. 2. Diléctus meus mihi, & ego illi: tenui eum, nec dimittam. **Postcommunio.**

Exuberet, quæsumus Domine, in cordibus nostris percépti gratia Sacramenti: quæ nos beati Felicis Confessoris tui imitatione purificet, atque intercessione communiat. Per Dominum.

Die xxii. Maji.

**IN FESTO S. PETRI
Cælestini Papæ & Confess.**

Missæ, ut in Missali Romano die 19. Maji, sine commem. S. Pudencianæ.

Die xxiii. Maji.

**IN FESTO B. HUMILIANÆ
Viduae.**

Missæ, Cognovi. de Communi nec Virg. nec Mart. præter Orationes sequentes. Oratio.

Omnipotens sempiternè Deus, dulcedo cordium, & præmium beatorum, qui beatam Humilianam tuo amore succensam suavissima contemplationis dulcedine replevisti: concede propitius; ut, ejus meritis & imitatione tibi jugiter adherentes, tuæ celsitudinis speciem contemplari perpetuo mereamur. Per Dominum nostrum.

Non dicitur Credo.

Secreta.

Suscipe Domine mûnera, quæ in beatæ Humilianæ solemnitate deferimus: cujus nos confidimus patrocinio liberari. Per Dominum.

Postcommunio.

Præsta, quæsumus Domine, intercedente beata Humiliána: ut quod ore contingimus, pura mente capiamus. Per Dominum.

Die

Die xxiv. Maji.

**IN FESTO B. JOANNIS
de Prado Martyris.**

Missæ, In virtute. de Communi unius Martyris non Pontificis.

Oratio.

Deus, qui ad infidèles illuminandos beatum Joannem verbi tui præconem extremum effecisti: concede; ut sicut ipse pro tuæ fidei dilatatione martyrii palmam meruit obtinere, ita nos ejus intercessione fidei nostræ præmia consequi mereamur. Per Dominum nostrum.

Evangelium. Si quis vult post me venire. sine Credo.

Si verò celebretur tempore Paschali, Missæ. Protexisti. de Communi Martyrum tempore Paschali. Secreta. Muneribus. Postcommunio. Da quæsumus.

Die xxv. Maji.

**IN FESTO TRANSLATIONIS
Seraphici S. P. Francisci.**

Missæ, ut infra in ejus die Natali; Sed Introitus. Mihi absit, ut die 17. Septembris, cum Epistola, Mihi absit, ut ibi. Orationes verò erunt sequentes.

Oratio.

Deus, qui Translationem beati Patris Francisci gloriosis miraculis decorasti: præsta quæsumus; ut ejus meritis, & imitatione, mundo commortui, ad vitam cum ipso resurgere mereamur æternam. Per Dominum nostrum.

Et fit commemor. S. Urbani Papæ & Mart. ut in Missali. Secreta.

Tua, Domine, muneribus altaria cumulamus, illius Corporis Translationem honore debito recolentes; in quo prærogativa mirabili passionis tuæ Sacra Stigmata renovasti: Qui vivis.

Præfatio. Qui venerandum. fol. 35. Postcommunio.

Cælestibus, Domine, refecti mysteriis, te supplices exoramus: ut qui beati Patris Francisci Translationem colimus, ad æterna gaudia transferamur. Per Dominum.

Die xxviii. Maji.

**IN FESTO S. GREGORII VII.
Papæ & Confessoris.**

Missæ, ut in Missali Romano die 25. Maji, sine commem. S. Urbani.

Dominica quinta post Pascha.

**IN FESTO DEDICATIONIS
Basilicæ Nostræ Assisientis S. P.
Francisci.**

Missæ, Terribilis. de Communi Dedicacionis Ecclesiæ. Fit commem. Dominicæ, cum ejus Evangelio in fine. Et dicitur Credo. etiam si contingat hoc Festum transferri in aliam diem.

FESTA JUNII.

Die iii. Junii.

**IN FESTO B. ANDREÆ
de Hyspello Confessoris.**

Missæ, Justus. de Communi Confess. non Pontificis secundo loco, præter Orationem sequentem. Oratio.

Clementissime Deus, qui beati Andreæ Confessoris tui meritis & intercessione æris serenitatem, & pluviam poscentibus tribuisti congruentem: mentes nostras imbribus gratiæ tuæ perfunde; ut sordibus peccatorum abstergis perpetua vultus tui hilaritate perfrui mereamur. Per Dominum.

Non dicitur Credo.

Die v. Junii.

**IN FESTO B. PACIFICI
Confessoris.**

Missæ, Os justii. de Communi Confessoris non Pontificis primo loco. Non dicitur Credo.

Die xii. Junii.

**IN FESTO B. GUIDI
Cortonensis Confessoris.**

Missæ, Os justii. de Communi Confess. non Pontificis primo loco.

Evangelium. Nolite timere. Et fit commemor. SS. Martyrum, ut in Missali Romano.

Non dicitur Credo.

DIE

DIE XIII. JUNII.

I N F E S T O

S. ANTONII DE PADUA CONFESSORIS.



Introitus. **Eccli. 15.**
N medio Ecclesiae aperuit
 os ejus: & implevit eum
 Dominus spiritu sapientiae
 & intellectus: stolam glori-
 ae induit eum.

Psal. 91. Bonum est con-
 fiteri Domino: & psallere nomini
 tuo, Altissime.

Gloria Patri, &c.

Oratio.

Eccliam tuam, Deus, beati Ant-
 onii Confessoris tui solemnitas vo-
 tiva lætificet: ut spiritalibus semper
 muniatur auxiliis, & gaudiis perfrui
 mereatur æternis. Per Dominum.

Lectio libri Sapientiae. Sap. 7.

Optavi, & datus est mihi sensus: &
 invocavi, & venit in me spiritus sa-
 pientiae: & præposui illam regnis & sé-
 dibus, & divitias nihil esse duxi in com-
 paratione illius. Nec comparavi illi lapi-
 dem pretiosum: quoniam omne aurum
 in comparatione illius, arena est exi-
 gua, & tamquam lutum aestimabitur ar-
 gentum in conspectu illius. Super salutem
 & speciem dilexi illam, & propo-
 sui pro luce habere illam: quoniam in-
 extinguiibile est lumen illius. Venerunt
 autem mihi omnia bona pariter cum il-
 la, & innumerabilis honestas per manus
 illius, & lætatus sum in omnibus: quon-
 iam antecedebat me ista sapientia, &
 ignorabam quoniam horum omnium
 mater est. Quam sine fictione didici, &
 sine invidia communico, & honestatem
 illius non abscondo. Insuper enim the-
 saurus est hominibus: quo qui usi sunt,
 participes facti sunt amicitiae Dei, pro-
 pter disciplinæ dona commendati. Mi-

hi autem dedit Deus dicere ex senten-
 tia, & præsumere digna horum, quæ
 mihi dantur: quoniam ipse sapientiae
 dux est, & sapientium emendator.

Graduale. Psalm. 36. Os justi medi-
 tabitur sapientiam, & lingua ejus lo-
 quetur iudicium.

V. Lex Dei ejus in corde ipsius: &
 non supplantabuntur gressus ejus.

Allelúja, allelúja.

V. Prov. 10. Argentum electum lingua
 justi, & labia illius erudiunt plurimos.
Allelúja.

**Tempore Paschali, quando fit Offi-
 cium per Annum, & in Missis voti-
 vis, omittitur Graduale, & additur
 sequens.**

V. Osee 14. Justus germinabit sicut li-
 llium: & florébit in æternum ante Do-
 minum. **A**llelúja.

**Post Septuagesimam, quando fit Of-
 ficiam per Annum, & in Missis voti-
 vis, omisso Allelúja, & V. sequenti,
 dicitur Tractus.**

Psalms 111. Beatus vir, qui timet
 Dominum: in mandatis ejus cupit
 nimis.

V. Potens in terra erit semen ejus:
 generatio rectorum benedicetur.

V. Gloria & divitiæ in domo ejus: &
 justitia ejus manet in sæculum sæculi.

**Sequentia sancti Evangelii secun-
 dum Matthæum. Matth. 5. b**

In illo tempore: Dixit Jesus discipulis
 suis: Vos estis sal terræ. Quod si sal
 evanuerit, in quo salietur? ad nihil
 valet ultra, nisi ut mittatur foras,
 & conculcetur ab hominibus. Vos estis
 lux mundi. Non potest civitas abscon-
 di

Festa Junii.

di supra montem posita. Neque accen-
 dunt lucernam, & ponunt eam sub mó-
 dio, sed super candelabrum, ut luceat
 omnibus qui in domo sunt. Sic luceat
 lux vestra coram hominibus, ut videant
 opera vestra bona, & glorificent Pa-
 trem vestrum, qui in cælis est. Nolite
 putare, quoniam veni solvere legem, aut
 Prophetas: non veni solvere, sed adimplere.
 Amen quippe dico vobis, donec tran-
 seat cælum & terra, iota unum, aut unus
 apex non præteribit à lege, donec omnia
 fiant. Qui ergo solverit unum de mandá-
 tis istis minimis, & docuerit sic homines,
 minimus vocabitur in regno cælorum: qui
 autem fecerit & docuerit, hic magnus
 vocabitur in regno cælorum. **Credo.**

**Et dicitur per totam Octavam & in
 Festis infra eam occurrentibus.**

Offertorium. Psalm. 88. Veritas mea,
 & misericordia mea cum ipso: & in
 nomine meo exaltabitur cornu ejus.

Secreta.

Præfens oblatio fiat, Domine, popu-
 lo tuo salutaris: pro quo dignatus es
 Patri tuo te viventem hostiam immolare:
 Qui cum eodem Deo Patre & Spiritu san-
 cto vivis & regnas Deus, per omnia, &c.
Communio. Matth. 25. Domine quin-
 que talenta tradidisti mihi, ecce alia
 quinque superlucratum sum: Euge serve
 bone & fidelis, quia in pauca fuisti fi-
 delis, supra multa ta constituam, intra
 in gaudium domini tui.

Postcommunio.

Divinis, Domine, munéribus satiá-
 ti, quæsumus: ut beati Antonii
 Confessoris tui méritis gloriósis, salu-
 taris victimæ desideratum sentiamus
 effectum. Per Dominum.

**¶ Infra Octavam S. Antonii, quando
 fit Officiam de Octava, dicitur eadem
 Missa, cum secunda Oratione de S. Ma-
 ria, Concede. & tertia, Ecclesiae. vel
 pro Papa, Deus omnium. quæ haben-
 tur post Dominicam in Albis; nisi oc-
 currat Festum simplex, de quo fit
 commemor. post Orationem diei, &
 tertia Oratio dicitur, quæ aliàs secun-
 do loco dicenda erat.**

Missæ SS. Ord. Conv.

**¶ Quando per Annum fit Officiam
 de S. Antonio, dicitur pariter eadem
 Missa, sed in Oratione pro voce illa,
 Sollemnitas. dicitur, Commemoratio vo-
 tiva. Et ab Octava Paschæ usque ad Pen-
 tecosten dicuntur supradictæ Orationes
 de S. Maria &c. A Pentecoste usque ad
 Adventum, & à Festo Purificationis usque
 ad Quadrag. secunda Oratio. A cunctis.
 tertia ad libitum. Ab Epiphania verò
 usque ad Purificationem secunda Oratio,
 Deus, qui salutis. tertia, Ecclesiae. vel
 pro Papa; quæ habentur in Dominica
 secunda post Epiphaniam.**

**¶ Idem servatur in ceteris Sanctorum
 Nostri Ordinis Missis, quando de his
 fit Officiam per Annum, ac etiam in
 eorum Missis votivis.**

Die xv. Junii.

**I N F E S T O S. JOANNIS
 à S. Facundo Confessoris.**

**Missa, ut in Missali Romano die 12.
 Junii, & fit commem. Octavæ S. Anto-
 nii, ac SS. Viti, Modesti, & Crescentiæ
 Mart. Dicitur Credo. ratione Octavæ.**

Die xix. Junii.

**I N F E S T O B. MICHAELINÆ
 Viduæ, Tertii Ordinis.**

**Missa, Cognovi Domine. de Com-
 muni nec Virginum nec Martyr. præ-
 ter Orationem sequentem. Oratio.**

Deus, qui beatam Michaelinam, à
 terrenis solutam affectibus, ad
 amorem tuum dispositione admirabili
 transtulisti: tribue nobis, quæsumus;
 ut, ejus méritis & imitatione à noxiis
 cupiditatibus expediti, quæ tibi sunt
 placita liberis mentibus exequamur.
 Per Dominum nostrum.

**Et fit commem. Octavæ S. Antonii,
 ut supra; ac SS. Gervasii & Protasii
 Mart. ut in Missali Romano. Et dicitur.
 Credo. ratione Octavæ.**

Die xx. Junii.

I N O C T A V A S. ANTONII.

**Missa, ut supra in ejus die Natali, &
 fit commem. S. Silverii Papæ & Mart.**

C

Die

Die xxii. Junii.

IN COMMEMORATIONE
Sanctorum, quorum Corpora, seu
Reliquiae in Ecclesiis Nostri
Ordinis asservantur.



Introitus. *Psal. 33.*
Ultæ tribulationes iustorum,
& de his omnibus liberavit
eos Dominus: Dominus
custodit omnia ossa eorum,
unum ex his non conteretur.
Psal. ibid. Benedicam Dominum in
omni tempore: semper laus ejus in ore
meo. *v. Gloria Patri, &c. Oratio.*

Auge in nobis, Domine, resurrex-
tionis fidem, qui in Sanctorum
tuorum Reliquiis mirabilia operaris: &
fac nos immortalis gloriae participes,
cujus in eorum cineribus pignora vene-
ramur. Per Dominum.

Et fit commem. S. Paulini Episc. & Conf.
Lectio libri Sapientiae. Eccli. 44.

Hi viri misericordiae sunt, quorum
pietates non defuerunt: cum semi-
ne eorum permanent bona, hereditas
sancta nepotes eorum, & in testamentis
stetit semen eorum: & filii eorum pro-
pter illos usque in aeternum manent: se-
men eorum & gloria eorum non dere-
linquetur. Corpora ipsorum in pace se-
pulta sunt, & nomen eorum vivit in
generationem & generationem. Sapien-
tiam ipsorum narrent populi, & lau-
dem eorum nuntiet Ecclesia.

Graduale. *Psal. 149.* Exultabunt Sancti
in gloria: laetabuntur in cubilibus suis.
v. Cantate Domino canticum novum:
laus ejus in Ecclesia Sanctorum.

Alleluja, alleluja. v. Psal. 67. Iusti epu-
lentur, & exultent in conspectu Dei,
& delectentur in laetitia. *Alleluja.*

Sequentia sancti Evangelii secun-
dum Lucam. *Luc. 6. c*

In illo tempore: Descendens Jesus de
monte, stetit in loco campestri, &
turba discipulorum ejus, & multitu-
do copiosa plebis ab omni Judaea, & Jeru-
salem, & maritima, & Tyri, & Sidonis,
qui venerant ut audirent eum, & iana-

rentur a languoribus suis. Et qui vexa-
bantur a spiritibus immundis, curaban-
tur. Et omnis turba quaerebat eum tan-
gere: quia virtus de illo exibat, & sana-
bat omnes. Et ipse elevatis oculis in di-
scipulos suos, dicebat: Beati pauperes:
quia vestrum est regnum Dei. Beati, qui
nunc esuritis: quia saturabimini. Beati,
qui nunc fletis: quia ridebitis. Beati eri-
tis cum vos oderint homines, & cum se-
paraverint vos, & exprobraverint, &
ejecerint nomen vestrum tamquam ma-
lum, propter filium hominis. Gaudete
in illa die, & exultate: ecce enim mer-
ces vestra multa est in caelo. *Credo.*

Offertorium. *Psal. 67.* Mirabilis Deus
in Sanctis suis: Deus Israel, ipse dabit
virtutem & fortitudinem plebi suae: Be-
nedictus Deus, alleluja. *Secreta.*

Imploremus, Domine, clementiam
tuam: ut Sanctorum tuorum, quo-
rum Reliquias veneramus, suffraganti-
bus meritis, hostia, quam offerimus,
nostrorum sit expiatio delictorum. Per
Dominum nostrum.

Communio. *Psal. 32.* Gaudete iusti
in Domino: rectos decet collaudatio.

Postcommunio.

Multiplica super nos, quaesumus
Domine, per haec sancta, quae
sumpsimus, misericordiam tuam: ut
sicut in tuorum solemnitate Sanctorum,
quorum Reliquias colimus, pia devotio-
ne laetamur; ita eorum perpetua societa-
te, te largiente, fruamur. Per Dnm.

Die xxiii. Junii.

IN FESTO S. JULIANAE
de Falconeris Virginis.

*Missae ut die 19. hujus in Missali Roma-
no, cum commem. Vigil. S. Joannis Bap-
tistae, & tertia Oratio erit, A cunctis, &c.
& in fine Missae legitur Evangel. Vigiliae.*

Die xxvii. Junii.

IN FESTO B. BENVENUTI
Confessoris. *Missae, Iustus. de Com-
muni Confessoris non Pontif. ii. loco.*
Et fit commem. Oct. S. Joannis Baptistae.
Non dicitur Credo.

FE-

Die ix. Julii.

FESTA JULII.

Die viii. Julii.

IN FESTO S. ELISABETH
Reginae Lusitaniae.

*Missae, Cognovi. de Communi nec
Virgin. nec Martyr. Oratio.*

Clementissime Deus, qui beatam
Elisabeth regnam, inter ceteras
egregias dotes, bellici furoris sedandi
prerogativa decorasti: da nobis ejus in-
tercessione, post mortalis vitae, quam
suppliciter petimus, pacem, ad aeterna
gaudia pervenire. Per Dominum.

Non dicitur Credo.

IN FESTO BB. NICOLAI,
& Sociorum Martyrum
Gorcomiensium.

*Missae, Intret. de Communi plurimo-
rum Martyrum.*

Oratio.

Deus, qui beatorum Martyrum
tuorum Nicolai & Sociorum ejus
gloriosum pro fide tua certamen aeterni-
tatis laurea decorasti: concede propitius;
ut eorum meritis & imitatione certantes
in terris, cum ipsis coronari mereamur
in caelis. Per Dominum nostrum Jesum
Christum Filium tuum.

Sine Credo.

DIE XIV. JULII.

IN FESTO
S. BONAVENTURAE
EPISCOPI, CONFESSORIS,

atque Ecclesiae Doctoris.

Introitus. Eccli. 15.



In medio Ecclesiae aperuit
os ejus: & implevit eum
Dominus spiritu sapien-
tiae & intellectus: stolam
gloriae induit eum.

Psal. 91. Bonum est con-
fiteri Domino: & psallere nomini tuo,
Altissime. *v. Gloria Patri. Oratio.*

Deus, qui sanctum Bonaventuram
Confessorem atque Pontificem Ec-
clesiae Doctorem Seraphicum tribuisti:
concede nos & ejus eruditione profice-
re, & tuae charitatis igne succendi. Per
Dominum nostrum.

*Lectio Epistolae beati Pauli Apostoli
ad Timotheum. 2. Tim. 4.*

Charissime, Testificor coram Deo, &
Jesu Christo, qui judicaturus est vi-
vos & mortuos, per adventum ipsius, &
regnum ejus: praedica verbum, in sta op-
portune, importune: argue, obsecra, in-

crepa in omni patientia, & doctrina. Erit
enim tempus, cum sanam doctrinam non
sustinebunt, sed ad sua desideria coacervabunt
sibi magistros, prurientes auribus:
& a veritate quidem auditum avertent,
ad fabulas autem convertentur. Tu ve-
ro vigila, in omnibus labora, opus fac
Evangelistae, ministerium tuum im-
ple. Sobrius esto. Ego enim jam deli-
bor, & tempus resolutionis meae instat.
Bonum certamen certavi, cursum con-
summavi, fidem servavi. In reliquo re-
posita est mihi corona justitiae, quam
reddet mihi Dominus in illa die, ju-
stus iudex: non solum autem mihi,
sed & iis, qui diligunt adventum ejus.

Graduale. *Psal. 36.* Os iusti meditabitur
sapientiam, & lingua ejus loquetur judi-
cium. *v. Lex Dei ejus in corde ipsius:*
& non supplantabuntur gressus ejus.

Alleluja, alleluja.

v. Psal. 109. Juravit Dominus, & non


C 2

po-

poenitēbit eum: Tu es sacerdos in ætēnum secundū ordinem Melchisedech. Allelūja.

Tempore Paschali, quando fit Officium per Annum, & in Missis votivis, omittitur Graduale, & additur sequens. *Psalm. 14.* Justus germinabit sicut lilium: & florebit in ætēnum ante Dōminum. Allelūja.

Post Septuagesimam, ac in ejus Translatione, omittis Allelūja, & v. sequenti, dicitur Tractus. *Psalm. 111.* Beātus vir, qui timet Dōminum: in mandātis ejus cupit nimis. *v.* Potens in terra erit semen ejus: generatio rectorum benedicetur. *v.* Glōria & divitiæ in domo ejus: & justitia ejus manet in sæculum sæculi.

 Sequētia sancti Evangelii secundū Matthæum. *Matth. 5. b*

IN illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis: Vos estis sal terræ. Quod si sal evanuerit, in quo salietur? ad nihilum valet ultra, nisi ut mittatur foras, & conculcetur ab hominibus. Vos estis lux mundi. Non potest civitas abscondi supra montem posita. Neque accendant lucernam, & ponunt eam sub modio, sed super candelabrum, ut luceat omnibus, qui in domo sunt. Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum, qui in cælis est. Nolite putare quoniam veni solvere legem, aut Prophetas: non veni solvere, sed adimplere. Amen quippe dico vobis, donec transeat cælum & terra, iota unum aut unus apex non præteribit à lege, donec omnia fiant. Qui ergo solverit unum de mandatis istis minimis, & docuerit sic homines, minimus vocabitur in regno cælorum: qui autem fecerit & docuerit, hic magnus vocabitur in regno cælorum.

Credo. & dicitur per totam Octavam, etiam in Festis infra eam occurrentibus. Offertorium. Psalm. 88. Inveni David servum meum, oleo sancto meo unxi eum: manus enim mea auxiliabitur ei, & brachium meum confortabit eum.

Secreta.

Oblatis, quæsumus Dōmine, placare munēribus: & quos beati Bonaventuræ mōnitis & exemplis imbuere voluisti, placitis etiam tibi mōribus tribue famulāri. Per Dōminum.

Communio. Luca 12. Fidelis servus, & prudens, quem constituit dōminus super familiam suam, ut det illis in tempore tritici mensuram.

Postcommunio.

Mysticis, Dōmine, communionis & pacis refecti munēribus, te supplices deprecāmur: ut, interveniēte beato Bonaventura Confessore tuo atque Pontifice, super dispersos pōpulos adoptionis grātiā diffundas; ut omni pravitāte depōsita, ad Ecclesiæ tuæ sanctæ redeant unitatē. Per Dōminum.

In Festis occurrentibus infra Oct. S. Bonaventuræ fit commemor. de Octav. Quando verò de eo fit Officium per Annum, dicitur Missa ut supra, sine Credo. Secunda & tertia Oratio, ut in Rubrica in Festo S. Antonii.

Die xvi. Julii.

In Missa occur. Festi B.M.V. de Monte Carmelo, post commemor. Oct. S. Bonaventuræ, fit commemor. Canonizationis Seraphici P. S. Francisci; quæ tamen in Affisiensi Basilica fit immediatè post Orationem diei. *Oratio.*

Deus, qui ad sectandas Unigeniti tui vias beātum Franciscum ducem ac præceptorem nobis tribuere dignatus es: concede propitius; ut cujus hodie memoriā colimus, ejus in cælis glōriæ participes effici mereāmur. Per eūdem Dōminum.

Secreta.

Suscipe, Dōmine, laudis hostiam, quam in honorem beati Patris Francisci tuæ offerimus Majestati: & per eam nosmetipsos tibi perfice munus ætēnum. Per Dōminum.

Postcommunio.

Sacro pro munere tibi, Dōmine, gratias agentes, quæsumus: ut intercedente beato Patre Francisco, cujus gau-

gaudemus triumphis, spiritalibus proficiamus auxiliis. Per Dōminum.

Die xviii. Julii.

IN FESTO B. SIMONIS de Lypnica Confessoris.

Missa, Justus. de Communi Confess. non Pontif. secundo loco. Oratio.

Omnipotens sempiternus Deus, qui beātum Simōnem Confessorem tuum Evangelicæ prædicationis grātia sublimasti: concede propitius; ut, ejus doctrinæ pabulo nutriti, quæ tibi sunt placita exequentes, per semitas justitiæ ad cælestem patriam feliciter pervenire valeamus. Per Dōminum nostrum.

Et fit commemor. Oct. S. Bonaventuræ cum Orationibus, ut supra. Et SS. Symphoræ ac filiorum Mart. ut in Miss. Rom. Dicitur Credo. ratione Octavæ.

Die xix. Julii.

IN FESTO B. JOANNIS de Dukla Confessoris.

Missa, Os justi. de Communi Conf. non Pontif. primo loco. Oratio.

Deus, qui beātum Joānnem Confessorem tuum eximie humilitatis, & patientiæ donis decorasti: concede propitius; ut ejusdem imitantes exempla, consequamur & præmia. Per Dōnum nostrum.

Et fit commemor. Oct. S. Bonaventuræ. Dicitur Credo. ratione Octavæ.

Die xx. Julii.

IN FESTO S. VINCENTII à Paulo Confessoris.

Missa ut in Miss. Rom. die præced. cum commemor. Octav. S. Margaritæ Virg. & Martyr. Dicitur Credo. ratione Octavæ.

Die xxi. Julii.

IN OCTAVA S. BONAVENTURÆ EPISCOPI ET CONFESSORIS.

Missa, ut supra in ejus die Natali, cum commemor. S. Praxedis Virginis ut in Missali Rom. no.

Missæ SS. Ord. Conv.

Die xxiv. Julii.

IN FESTO S. FRANCISCI Solani Confessoris.

Missa, Os justi. de Communi Confessoris non Pontif. primo loco. Oratio.

Deus, qui plurimas Americæ Gentes per beātum Franciscum ad sinum Ecclesiæ perduxisti: ejus meritis & precibus indignationem tuam à peccatis nostris averte; & in Gentes, quæ te non cognoverunt, timorem nominis tui benignus immitte. Per Dōminum.

Et fit commemor. Vigiliæ S. Jacobi, ac S. Christianæ Virginis & Martyr. ut in Missali Romano. Non dicitur Credo.

Ubi dicuntur duæ Missæ, in Missa de Festo post Tertiam fit commemor. S. Christianæ tantum. In Missa verò de Vigilia post Nonam, dicitur ii. Oratio de S. Maria, Concede. tertia, Ecclesiæ, vel pro Papa, Deus omnium.

Die xxvii. Julii.

IN FESTO B. CUNEGUNDIS Reginae Polonæ Virginis.

Missa, Dilexisti. de Communi Virginum. Oratio.

Deus, qui beātam Cunegundem dulcedinis tuæ benedictionibus prævenisti, & virginem etiam in conjugio conservasti: præsta quæsumus; ut ipsa intercedente per vitæ puritatem tibi jūgiter adhærere, & per ejus vestigia gradientes ad te pervenire feliciter mereāmur. Per Dōminum.

Et fit commemor. S. Pantaleonis Mart. ut in Missali Romano. Non dicitur Credo.

FESTA AUGUSTI.

Die ii. Augusti.

IN FESTO DEDICATIONIS Ecclesiæ S. Mariæ Anglorum.

Missa, Terribilis. de Communi Dedicationis Ecclesiæ, cum commemor. S. Stephani Papæ & Mart.

Dicitur Credo. In Secreta omittitur tota parenthesis.

Die iv. Augusti.

IN FESTO S. DOMINICI
Confessoris.Missa, ut in Missali Romano.
Et dicitur Credo.

Die xi. Augusti.

MISSA VIGILIAE S. CLARAE
Virginis.Pro Ecclesiis Monialium S. Clarae,
tantum.

Introitus. Psalm. 44.

Dilexisti iustitiam, & odisti iniquitatem: propterea unxit te Deus Deus tuus oleo laetitiae praesortibus tuis.

Psalmus ibid. Eructavit cor meum verbum bonum: dico ego opera mea Regi. Gloria Patri, &c.

Oratio.

Exaudi nos Deus salutaris noster: ut sicut de beatae Clarae Virginis tuae, quam praevenerimus, festivitate gaudemus; ita pia devotionis erudiamur affectu. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, &c.

Lectio Epistolae beati Pauli Apostoli ad Corinthios.

2. Cor. 10.

Fratres: Qui gloriatur, in Domino gloriatur. Non enim qui seipsum commendat, ille probatus est; sed quem Deus commendat. Utinam sustineretis modicum quid insipientiae meae, sed & supportate me. Aemulor enim vos Dei aemulatione. Respondi enim vos uni viro virginem castam exhibere Christo.

Graduale Psalm. 44. Specie tua, & pulchritudine tua intende, prospere procede, & regna.

Propter veritatem, & mansuetudinem, & iustitiam, & deducet te mirabiliter dextera tua.

Sequentia sancti Evangelii secundum Lucam. Lucae 11.

In illo tempore: Dixit Jesus turbis: Lucerna corporis tui est oculus tuus. Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit: si autem nequam fuerit, etiam corpus tuum totum tenebrosum erit. Vide ergo, ne lumen quod in te est, tenebrae sint. Si ergo corpus tuum totum lucidum fuerit, non habens aliquam partem tenebrarum, erit lucidum totum, & sicut lucerna fulgoris illuminabit te.

Offertorium. Psalmus 44. Filiae regum in honore tuo: assistit regina a dextris tuis in vestitu deaurato, circumdata varietate.

Secreta.

Accepta tibi sit, Domine, devotae plebis oblatio: ut cujus natalitia praevenit, ejus se meritis de tribulatione percepisse cognoscat auxilium. Per Dominum nostrum.

Communio. Matth. 25. Media nocte clamor factus est: Ecce Sponsus venit, exite obviam Christo Domino.

Postcommunio.

Satiasti, Domine, familiam tuam munerationibus sacris: ejus, quaesumus, semper interventione nos refove, cujus solennia praevenerimus. Per Dominum.

Occurrente hac die Festo ix. Lectionum, (in Ecclesiis Monialium praedictis tantum,) si dicuntur duae Missae, in Missa de Festo post Tertiam fit commemoratio S. Laurentii, ac SS. Tiburtii & Sufannae; in Missa vero de Vigilia post Nonam dicitur secunda Oratio de S. Maria, Concede, tertia, Ecclesiae, vel pro Papa, Deus omnium fidelium.

Si Festum S. Clarae venerit Feria secunda, commemoratio de Vigilia fit in Sabbato in Missa de Festo S. Laurentii, & in fine legitur Evangelium ejusdem Vigiliae.

IN FESTO S. CLARAE VIRGINIS.

Introitus. Psalm. 44.

Ultum tuum deprecabuntur omnes divites plebis: adducuntur Regi virgines post eam: proximae ejus adducuntur tibi in laetitia & exultatione. Psalm. ibid. Eructavit cor meum verbum bonum: dico ego opera mea Regi. Gloria Patri, &c.

Oratio.

Deus, qui Ecclesiam tuam beatae virginis Clarae miris illustras virtutum splendoribus, & nova prole secundas: concede propitius; ut per ejus vestigia gradientes, aeternae gloriae claritatem consequi mereamur. Per Dominum.

Lectio libri Sapientiae. Sap. 7.

Omnium artifex docuit me Sapientia: est enim in illa spiritus intelligentiae, sanctus, omnem habens virtutem, omnia prospiciens, & qui capiat omnes spiritus: intelligibilis, mundus, subtilis. Omnibus enim mobilibus mobilior est sapientia: attingit autem ubique propter suam munditiam. Vapor est enim virtutis Dei, & emanatio quaedam claritatis omnipotentis Dei sincera: & ideo nihil inquinatum in eam incurrit.

Graduale. Psalm. 44. Concupivit Rex decorem tuum, quoniam ipse est Dominus Deus tuus. Gloria. Audi filia, & vide, & inclina aurem tuam. Alleluja, alleluja. Gloria. Haec est virgo sapiens, & una de numero prudentum. Alleluja.

Post Septuagesimam quando fit Officium per Annum, & in Missis votivis, omisso Alleluja, & sequenti, dicitur Tractus.

Psalm. 44. Audi filia, & vide, & inclina aurem tuam: quia concupivit Rex speciem tuam. Gloria. Vultum tuum deprecabuntur omnes divites plebis: filiae regum in honore tuo. Gloria. Adducuntur Regi virgines post eam: proximae ejus afferentur tibi. Gloria. Afferentur in laetitia & exultatione: adducuntur in templum Regis.

Temp. Paschali quando fit Officium per Annum, & in Missis votivis, omittitur

Graduale, & additur sequens. Gloria. O quam pulchra est casta generatio cum claritate! Alleluja.

Sequentia sancti Evangelii secundum Matthaeum. Matth. 25.

In illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis parabolam hanc: Simile erit regnum caelorum decem virginibus: quae accipientes lampades suas, exierunt obviam sponso & sponsae. Quinque autem ex eis erant fatuae, & quinque prudentes: sed quinque fatuae, acceptis lampadibus, non sumpsérunt oleum secum: prudentes vero acceperunt oleum in vasis suis cum lampadibus. Moram autem faciente sponso, dormitaverunt omnes, & dormierunt. Media autem nocte clamor factus est: Ecce sponsus venit, exite obviam ei. Tunc surrexerunt omnes virgines illae, & ornaverunt lampades suas. Fatuae autem sapientibus dixerunt: Date nobis de oleo vestro: quia lampades nostrae extinguuntur. Responderunt prudentes, dicentes: Ne forte non sufficiat nobis & vobis, ite potius ad vendentes, & emite vobis. Dum autem irent emere, venit sponsus: & quae paratae erant, intraverunt cum eo ad nuptias, & clausa est janua. Novissimae vero veniunt & reliquae virgines, dicentes: Domine, Domine, aperi nobis. At ille respondens, ait: Amen dico vobis, nescio vos. Vigilate itaque, quia nescitis diem, neque horam.

Credo, & dicitur per totam Octavam, & in Festis infra eam currentibus.

Offertorium. Psalm. 44. Adducuntur Regi virgines post eam: proximae ejus afferentur tibi in laetitia & exultatione: adducuntur in templum Regi Domino. Secreta.

Oblata tibi, quaesumus Domine, dona sanctifica: quae majestati tuae accepta faciat beatae Virginis tuae Clarae intercessio veneranda. Per Dominum.

Communio. Matth. 25. Quinque prudentes virgines acceperunt oleum in vasis

sis suis cum lampadibus: media autem nocte clamor factus est: Ecce sponsus venit, exite obviam Christo Domino.

Postcommunio.

Protegant, quæsumus Domine, plebem tuam gloriosæ virginis tuæ Claræ continuata præsidia, & sumpta pro illius gloria Corporis tui sacri & pretiosi Sanguinis sacramenta: Qui vivis & regnas.

Die xiii. Augusti.

IN FESTO S. CAMILLI DE LELLIS

Confessoris.

Missæ, ut in Missali Romano sub die 18. Julii, cum commemor. Octavar. S. Claræ, & S. Laurentii, ac SS. Hippolyti, & Cassiani Mart. ut in eodem Missali.

In sequenti verò die fit de Oct. S. Claræ, & Missa dicitur de Vig. Assumptionis, cum commemor. Octavar. S. Claræ, & S. Laurentii, ac S. Eusebii Confessoris.

Quando de S. Clara fit Officium per Annum, ac etiam in Missis votivis, dicitur eadem Missa, ut supra, sine Credo, cum Orationibus temporariis convenientibus, ut dictum est in Festo S. Antonii. fol. 21.

Die xvi. Augusti.

IN FESTO S. ROCHI CONFESSORIS.

Missæ, Os justi. de Communi Confessoris. primo loco. Oratio.

Populum tuum, quæsumus Domine, continua pietate custodi: & beati Rochi suffragantibus meritis ab omni fac animæ & corporis contagione securum. Per Dominum.

Et fit commemor. Octavar. Assumpt. S. Claræ, & S. Laurentii.

Dicitur Credo. ratione Octavarum.

Die xviii. Augusti.

IN FESTO B. CLARÆ

de Monte Falco Virginis.

Missæ, Dilexisti. de Communi Virginum. Et fit commemor. Octavar. Assumpt. & S. Claræ, ac etiam S. Agapiti Mart. Dicitur Credo. ratione Octavarum.

Postcommunio pro S. Agapito Mart. Da quæsumus, ut in Cōiupus Mart. i. loco.

Die xix. Augusti.

IN FESTO S. LUDOVICI

Episcopi, & Confessoris.

Introitus.

Eccli. 45.



Tatuit ei Dominus testamentum pacis, & principem fecit eum: ut sit illi sacerdotii dignitas in æternum. Psal. 131. Memento Domine David, & omnis mansuetudinis ejus. Gloria Patri, &c.

Oratio.

Deus, qui beatum Ludovicum Confessorem tuum atque Pontificem cælesti regnum terreno præponere docuisti, ac puritate illibata & eximia in pauperes charitate mirabiliter decorasti: concede; ut ejusdem virtutes æmulantes in terris, coronari cum ipso mereamur in cælis. Per Dominum.

Et fit commemor. diei Octavæ S. Claræ tantum, ut supra in ejus Missa.

Lectio Epistolæ beati Pauli Apostoli ad Timotheum. 1. Tim. 4.

Charissime: Nemo adolescentiam tuam contemnat: sed exemplum esto fidelium, in verbo, in conversatione, in charitate, in fide, in castitate. Attende lectioni, exhortationi, & doctrinæ. Noli negligere gratiam, quæ in te est, quæ data est tibi per prophetiam, cum impositione manuum presbyterii. Hæc meditare; in his esto: ut profectus tuus manifestus sit omnibus. Attende tibi, & doctrinæ: insta in illis. Hoc enim faciens, & teipsum salvum facies, & eos qui te audiunt.

Graduale. Eccli. 44. Ecce Sacerdos magnus, qui in diebus suis placuit Deo.

Non est inventus similis illi, qui conservaret legem Excelsi. Alleluja, alleluja.

Sap. 4. Consummatus in brevi expleret tempora multa: placita enim erat Deo anima illius. Alleluja.

Sequentia sancti Evangelii secundum Matthæum. Matth. 24.

In illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis: Vigilate, quia nescitis qua hora Dominus vester venturus sit. Illud autem

autem scitote, quoniam si sciret paterfamilias qua hora fur venturus esset, vigilaret utique, & non sineret perfodi domum suam. Ideo & vos estote parati: quia qua nescitis hora filius hominis venturus est. Quis, putas, est fidelis servus, & prudens, quem constituit dominus suus super familiam suam, ut det illis cibum in tempore? Beatus ille servus, quem, cum venerit dominus ejus, invenerit sic facientem. Amen dico vobis, quoniam super omnia bona sua constituet eum. Credo.

Offertorium. Psal. 88. Inveni David servum meum, oleo sancto meo unxi eum: manus enim mea auxiliabitur ei, & brachium meum confortabit eum. Secreta.

Sacrificia Domine, quæ in honorem Sancti Ludovici Confessoris tui atque Pontificis tuæ offerimus majestati, nobis sint ad salutem efficaciam, & tuæ placita pietati. Per Dominum.

Communio. Matth. 24. Beatus servus, quem, cum venerit Dominus, invenerit vigilantem: amen dico vobis, super omnia bona sua constituet eum.

Postcommunio.

Immensam clementiam tuam, omnipotens Deus, suppliciter exoramus: ut intercedente beato Ludovico Confessore tuo atque Pontifice per hæc sancta, quæ sumpsimus, cuncta nobis adversantia, te adjuvante, vincamus. Per Dñm.

Die xxi. Augusti.

IN FESTO S. HYACINTHI

Confessoris.

Missæ, ut in Missali Romano, die 16. Augusti, omissa commemor. Oct. S. Laurentii.

Die xxv. vel xxvi. Augusti.

IN FESTO S. LUDOVICI

Regis Francorum Confessoris.

Missæ, ut in Missali Romano. Et non dicitur Credo.

Ubi celebratur die 26. fit commemor. S. Zephyrini Papæ & Mart.

Apud Tertiarios celebratur cum Oct. & infra Oct. ac etiam in ipsa die Octava, dicitur Missa sicut in Festo; sed infra Oct.

secunda Oratio de S. Maria, Concede. tertia, Ecclesie, vel pro Papa, Deus omnium. Dicitur Credo per totam Oct. etiam in Festis infra eam occurrentibus. Et ubi celebratur die 26. non fit apud ipsos commemor. S. Zephyrini.

FESTA SEPTEMBRIS.

Die i. Septembris.

IN FESTO BB. JOANNIS, & Petri Martyrum.

Missæ, Introitus. de Communi plurimorum. Mart. primo loco. Oratio.

Deus, qui nos concedis beatorum Martyrum tuorum Joannis & Petri natalitia colere: da nobis in æterna beatitudine de eorum societate gaudere. Per Dominum.

fit commemor. S. Egidii Abbatis ac SS. XII. Fratrum Mart. ut in Miss. Romano.

Die iii. Septembris.

IN FESTO B. ISABELLÆ VIRGINIS, Tertii Ordinis. Missæ, Dilexisti. de Communi Virg. Sine Credo.

Die iv. Septembris.

IN FESTO S. ROSÆ Virginis Viterbiensis.

Missæ, Dilexisti. de Cōi Virg. Oratio.

Deus, qui beatam Rosam sanctarum tuarum Virginum collegio aggregare dignatus es: tribue nobis, quæsumus; ut ejus precibus & meritis a culpis omnibus expiemur, & tuæ Majestatis consortio perfruamur æterno. Per Dominum. Non dicitur Credo.

Die ix. Septembris.

IN FESTO B. SERAPHINÆ Viduæ, Clarissæ.

Missæ, Cognovi Domine. de Communi nec Virginum nec Mart. præter Orationem sequentem. Oratio.


Deus, qui per beatam Seraphinam tribuisti: præsta supplicibus tuis; ut & ipsius instruamur exemplis, & ab omnibus ejus patrocinio liberemur adversis. Per Dominum nostrum.

Et fit commem. Octavæ Nativitatis B. Mariæ; postea S. Gorgonii Mart. ut in Missali. Et dicitur Credo. ratione Octavæ.

Die xvii. Septembris.

IN FESTO IMPRESSIONIS
Sacrorum Stigmatum in Corpore
Seraphici P. S. Francisci.

Introitus. Gal. 6.



Ihi autem absit gloriari, nisi in Cruce Domini nostri Jesu Christi: per quem mihi mundus crucifixus est, & ego mundo. Psal. 141. Voce mea ad Dominum clamaui: voce mea ad Dominum deprecatus sum. Gloria Patri, &c. Oratio.

Domine Jesu Christe, qui frigescente mundo, ad inflammandum corda nostra tui amoris igne, in carne beatissimi Patris Francisci Passionis tuæ sacra Stigmata renovasti: concede propitius; ut ejus meritis & precibus Crucem jugiter feramus, & dignos fructus poenitentiae faciamus: Qui vivis & regnas. Lectio Epistolæ beati Pauli Apostoli ad Galatas. Gal. 6.

Ratres, Mihi autem absit gloriari, nisi in Cruce Domini nostri Jesu Christi: per quem mihi mundus crucifixus est, & ego mundo. In Christo enim Jesu, neque circumcisio aliquid valet, neque præputium, sed nova creatura. Et quicumque hanc regulam secuti fuerint, pax super illos, & misericordia, & super Israel Dei. De cetero nemo mihi molestus sit: ego enim stigmata Domini Jesu in corpore meo porto. Gratia Domini nostri Jesu Christi cum spiritu vestro, fratres. Amen.

Graduale. Psal. 37. Sagittæ tuæ infixæ sunt mihi: & confirmasti super me manum tuam. Domine, ante te omne desiderium meum: & gemitus meus à te non est absconditus. Allelúja, allelúja. Gal. 2. Christo confixus sum Cruci: vivo autem ego, jam non ego; vivo verò in me Christus. Allelúja.

Graduale. Psal. 37. Sagittæ tuæ infixæ sunt mihi: & confirmasti super me manum tuam. Domine, ante te omne desiderium meum: & gemitus meus à te non est absconditus. Allelúja, allelúja. Gal. 2. Christo confixus sum Cruci: vivo autem ego, jam non ego; vivo verò in me Christus. Allelúja.

Graduale. Psal. 37. Sagittæ tuæ infixæ sunt mihi: & confirmasti super me manum tuam. Domine, ante te omne desiderium meum: & gemitus meus à te non est absconditus. Allelúja, allelúja. Gal. 2. Christo confixus sum Cruci: vivo autem ego, jam non ego; vivo verò in me Christus. Allelúja.



Sequentia sancti Evangelii secundum Matthæum. Matth. 16. d

In illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis: Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me. Qui enim voluerit animam suam salvam facere, perdet eam: qui autem perdidit animam suam propter me, inveniet eam. Quid enim prodest homini, si mundum universum lucratur, animæ verò suæ detrimentum patiatur? Aut quam dabit homo commutationem pro anima sua? Filius enim hominis venturus est in gloria Patris sui cum Angelis suis: & tunc reddet unicuique secundum opera ejus. Credo.

Offertorium. Psal. 20. Desiderium animæ ejus tribuisti ei Domine: & voluntate labiorum ejus non fraudasti eum. Secreta.

Hujus, Domine, sacrificii præstavit virtute: ut Christo crucifixo studeamus esse carnis mortificatione conformes, cujus passionis in beato Patre Francisco imaginem veneramur. Per eundem Dominum.

Præfatio propria, ut infra in ejus die Natali. fol. 34.

Communio. Matth. 16. Qui vult venire post me, abneget semetipsum: & tollat crucem suam, & sequatur me. Postcommunio.

Deus, qui mira Crucis mysteria in beato Patre Francisco Confessore tuo multiformiter demonstrasti: da nobis, quæsumus, devotionis suæ semper exempla sectari, & assidua ejusdem Crucis meditatione muniri. Per Dominum.

Die xviii. Septembris.

IN FESTO B. JOSEPHI
à Cupertino Confessoris.

Missæ, Os justi. de Communi Confessoris non Pontificis.

Oratio.

Deus, qui ad Unigenitum Filium tuum exaltatum à terra omnia trahere disposuisti: perfice propitius; ut

ut meritis & exemplo Seraphici Confessoris tui Josephi, supra terrenas omnes cupiditates elevati, ad eum pervenire mereamur: Qui tecum vivit, &c.

Die xxii. Septembris.

IN FESTO S. THOMÆ
de Villanova Episc. & Confess.

Missæ, Staturit. sumatur ex Missali posita sub die xviii. hujus Mensis; & in ea fit commem. SS. Mauritii & Socior. Mart. Oratio tertia, A cunctis. Non dicitur Credo.

Die xxvi. Septembris.

IN FESTO BEATÆ LUCIÆ
Virginis.

Missæ, Dilexisti. de Communi Virginum cum commem. SS. Cypriani & Justinæ Mart. ut in Missali Romano. Non dicitur Credo.

Die xxvii. Septembris.

IN FESTO S. ELZEARI
Confessoris.

Introitus. Psal. 91.



Ustus ut palma florébit, sicut cedrus Libani multiplicabitur: plantatus in domo Domini, in atrii domus Dei nostri.

Psalms ibid. Bonum est confiteri Domino: & psallere nomini tuo, Altissime. Gloria Patri, &c.

Oratio.

Deus, qui beatum Elzearium Confessorem tuum, inter cetera virtutum insignia, virginali pudicitia in conjugio decorasti: concede propitius; ut cujus solennia celebramus in terris, ejus consortio perfruamur in cælis. Per Dominum.

Lectio Epistolæ beati Pauli Apostoli ad Corinthios. 1. Cor. 7.

Ratres: Unusquisque in qua vocatione vocatus est, in ea permaneat. Servus vocatus es? non sit tibi curæ: sed & si potes fieri liber, magis utere. Qui enim in Domino vocatus est servus, libertus est Domini: similiter qui

liber vocatus est, servus est Christi. Pretio empti estis, nolite fieri servi hominum. Unusquisque in quo vocatus est, fratres, in hoc permaneat apud Deum. De virginibus autem præceptum Domini non habeo: consilium autem do, tamquam misericordiam consecutus à Domino, ut sim fidelis.

Graduale. Psal. 36. Os justi meditabitur sapientiam, & lingua ejus loquetur judicium. Lex Dei ejus in corde ipsius: & non supplantabuntur gressus ejus. Allelúja, allelúja.

Osee 14. Justus germinabit sicut liliolum, & florébit in æternum ante Dominum. Allelúja.



Sequentia sancti Evangelii secundum Matthæum. Matth. 19.

In illo tempore: Accesserunt ad Jesum Pharisei tentantes eum, & dicentes: Si licet homini dimittere uxorem suam, quacumque ex causa? Qui respondens, ait eis: Non legistis, quia qui fecit hominem ab initio, masculum & feminam fecit eos? & dixit: Propter hoc dimittet homo patrem, & matrem, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una. Itaque jam non sunt duo, sed una caro. Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet. Dicunt illi: Quid ergo Moyses mandavit dare libellum repudiij, & dimittere? Ait illis: Quoniam Moyses ad duriciam cordis vestri permisit vobis dimittere uxores vestras: ab initio autem non fuit sic. Dico autem vobis, quia quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur: & qui dimissam duxerit, mœchatur. Dicunt ei discipuli ejus: Si ita est causa hominis cum uxore, non expedit nubere. Qui dixit illis: Non omnes capiunt verbum istud, sed quibus datum est. Sunt enim eunuchi, qui de matris utero sic nati sunt: & sunt eunuchi, qui facti sunt ab hominibus: & sunt eunuchi, qui seipsos castraverunt propter regnum cælorum. Qui potest capere, capiat.

Non dicitur Credo.

Offer-

Offertorium. *Psalm. 20.* In virtute tua Domine lætabitur justus, & super salutare tuum exultabit vehementer: desiderium animæ ejus tribuisti ei.

Secreta.

Præsta nobis, quæsumus, omnipotens Deus: ut nostræ humilitatis oblatio, & pro tuorum tibi grata sit honore Sanctorum, & nos corpore pariter & mente purificet. Per Dominum nostrum Jesum Christum.

Communio. *Matth. 19.* Amen dico vobis, quod vos, qui reliquistis omnia, & secuti estis me, centuplum accipietis, & vitam æternam possidebitis.

Postcommunio.

Quæsumus, omnipotens Deus: ut qui cælestia alimenta percipimus, intercedente beato Elzeario Confessore tuo, per hæc contra omnia adversa muniamur. Per Dominum nostrum Jesum Christum.

Die xxviii. Septembris.

IN FESTO B. BERNARDINI

Feltrensis Confessoris.

Missæ, Justus, de Comuni Confessoris non Pontificis secundo loco.

Non dicitur Credo.

FESTA OCTOBRIS.

Die iii. Octobris.

IN FESTO TRANSLATIONIS

S. Claræ Virginis.

Missæ, ut in ejus die Natali 12. Augusti.

Oratio.

Beate Virginis tuæ Claræ votivam Translationem recolentes, quæsumus Domine: ut ejus meritis & imitatione cælestium gaudiorum participes effici mereamur. Per Dominum nostrum Jesum Christum.

Et sit commem. Vigiliæ cum Orationibus, ut in sequenti Missæ propria.

Non dicitur Credo, & in fine Missæ legitur Evangelium Vigiliæ.


¶ Ubi verò dicuntur duæ Missæ; in Missæ de Festo post Tertiam non fit commemoratio Vigiliæ, & post

Nonam dicitur Missæ de Vigiliæ, ut infra.

M I S S A V I G I L I Æ

Seraphici P. S. Francisci.

Introitus. Psalm. 141.



Duc de custodia animam meam ad confitendum nomini tuo: me expectant justi, donec retribuas mihi. *Psalm. ibid.* Voce mea ad Dominum clamavi: voce mea ad Dominum deprecatus sum.

¶. Gloria Patri, &c.

Oratio.

Deus, qui superbis resistis, & gratiam præstas humilibus: da nobis, quæsumus, intercedente beato Patre Francisco, cujus solèmnia prævenimus, superbè non sapere, sed tibi placita humilitate proficere; ut per ejus vestigia gradientes, donatæ gratiæ consequamur. Per Dñm.

Secunda Oratio de S. Maria, Concede. tertia, Ecclesiæ, vel pro Papa; Deus omnium.

Lectio Epistolæ B. Petri Apóstoli.

2. Pet. 1.

Fratres: Magis satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem & electionem faciatis: hæc enim facientes, non peccabitis aliquando. Sic enim abundanter ministrabitur vobis introitus in æternum regnum Domini nostri, & Salvatoris Jesu Christi. Propter quod incipiam vos semper commonere de his: & quidem scientes & confirmatos vos in præsentis veritate. Justum autem arbitror quàm diu sum in hoc tabernaculo, suscitare vos in commonitione: certus quòd velox est depositio tabernaculi mei, secundum quod & Dominus noster Jesus Christus significavit mihi. Dabo autem operam & frequenter habere vos post obitum meum, ut horum memoriam faciatis.

Graduale. Psalm. 141. Clamavi ad te Domine, dixi: Tu es spes mea, portio mea in terra viventium.

¶. Intende ad deprecationem meam, quia humiliatus sum nimis.

Se-



Sequentia sancti Evangelii secundum Lucam. *Luc. 9.*

In illo tempore: Dicebat Jesus: Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat crucem suam quotidie, & sequatur me. Qui enim voluerit animam suam salvam facere, perdet illam: nam qui perdidit animam suam propter me, salvam faciet illam. Quid enim proficit homo, si lucratur universum mundum, se autem ipsum perdat, & detrimentum sui faciat? Nam qui me erubuerit, & meos sermones: hunc Filius hominis erubescet, cum venerit in majestate sua, & Patris, & sanctorum Angelorum.

Offertorium. *Psalm. 141.* Effundo in conspectu ejus orationem meam, &

tribulationem meam ante ipsum pronuntio. *Secreta.*


Sancti Francisci Confessoris tui, Domine, festivitatem oblati donis prævenimus, te suppliciter deprecantes: ut his divinis expiati mysteriis, dignius tanti Patris honorificemus triumphum. Per Dominum nostrum.

Præfatio communis.

Communio. *Psalm. 141.* In deficiendo ex me spiritum meum, & tu cognovisti semitas meas.

Postcommunio.

Cælestia, quæ sumpsimus, Domine, Sacramenta, beati Patris Francisci natalitia prævenientes, muniant nos, quæsumus, & inflamment: ut in tuo jùgiter simus & obsequio stables, & amore ferventes. Per Dominum.



DIE

DIE IV. OCTOBRIS.
IN SOLEMNITATE
SERAPHICI
P. S. FRANCISCI.



Introitus.
Audeamus omnes in Domino, diem festum celebrantes sub honore beati Patris Francisci: de cuius solemnitate gaudent Angeli, & collaudant Filium Dei.

Psal. 32. Exultate iusti in Domino: rectos decet collaudatio.

v. Gloria Patri, &c.

Oratio.

Deus, qui Ecclesiam tuam beati Patris Francisci meritis foetu novae prolis amplificas: tribue nobis, ex ejus imitatione terrena despiciere, & caelestium donorum semper participatione gaudere. Per Dominum.

Lectio Epistolae beati Pauli Apostoli ad Galatas. **Gal. 6.**

Fratres: Mihi autem absit gloriari, nisi in Cruce Domini nostri Jesu Christi: per quem mihi mundus crucifixus est, & ego mundo. In Christo enim Jesu neque circumcisio aliquid valet, neque praepitium, sed nova creatura. Et quicumque hanc regulam secuti fuerint, pax super illos, & misericordia, & super Israel Dei. De cetero nemo mihi molestus sit: ego enim stigmata Domini Jesu in corpore meo porto. Gratia Domini nostri Jesu Christi cum spiritu vestro fratres. Amen.

Graduale. Psal. 72. Quid mihi est in caelo? & a te quid volui super terram?

v. Defecit caro mea, & cor meum: Deus cordis mei, & pars mea Deus in aeternum. Alleluja, alleluja.

v. Franciscus pauper & humilis, caelum dives ingreditur, hymnis caelestibus honoratur. Alleluja.

Tempore Paschali omittitur Graduale, & additur sequens **v.** **Psal. 15.** Notas mihi fecisti vias vitae, adimplebis me laetitia cum vultu tuo: delectationes in dextera tua usque in finem. Alleluja.

Post Septuagesimam, dicto Graduali, omittitur Alleluja, cum v. sequenti, & ejus loco dicitur Tractus. Psal. 111.

Beatus vir, qui timet Dominum: in mandatis ejus cupit nimis. **v.** Potens in terra erit semen ejus: generatio rectorum benedicetur. **v.** Gloria & divitiae in domo ejus: & justitia ejus manet in saeculum saeculi.

Sequentia sancti Evangelii secundum Matthaeum. Matth. 11. d

In illo tempore: Respondens Jesus, dixit: Confiteor tibi Pater, Domine caeli & terrae, quia abscondisti haec a sapientibus & prudentibus, & revelasti ea parvulis. Ita Pater: quoniam sic fuit placitum ante te. Omnia mihi tradita sunt a Patre meo. Et nemo novit Filium, nisi Pater: neque Patrem quis novit, nisi Filius, & cui voluerit Filius revelare. Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos. Tollite jugum meum super vos, & discite a me, quia mitis sum, & humilis corde: & inveniatis requiem animabus vestris. Jugum enim meum suave est, & onus meum leve.

Credo. & dicitur per totam Octavam, & in Festis infra eam occurrentibus.

Offertorium. Psal. 72. Mihi autem adhaerere Deo bonum est: ponere in Domino Deo spem meam. **Secreta.**

Munera tibi, Domine, dicata sanctifica: & intercedente beato Patre

tre Francisco ab omni nos culpae labe purifica. Per Dominum.

Sequens Praefatio cum suo cantu dicitur in omnibus Festivitatibus S. P. Francisci, ac etiam per totam Octavam, in Dominica & Festis infra eam occurrentibus: in Festo Omnium Sanctorum Seraphici Ordinis: nec non in Missis votivis ejusdem S. P. Francisci, & quando fit Officium per Annum.

Per omnia saecula saeculorum.

R. Amen.

v. Dominus vobiscum.

R. Et cum spiritu tuo.

v. Surrexerunt corda.

R. Habemus ad Dominum.

v. Gratias agamus Domino.

R. Deo nostro.

R. Dignum & justum est.

v. Vere dignum & justum est,

aequum & salutare, nos tibi

semper, & ubique gratias age

re: Domine sancte, Pater om-

ni potens, aeternus Deus,

qui venere randum Confesorem

familium tuum beatum Fran-

ciscum, tu a Deo altissima

bonitate & clementia, San-

ctorum tuorum meritis & vir-

tutibus sublimasti, Mentem-

que ipsius sancti Spiritus

operatione, amor ille

Seraphicus ardens si me incen-

incéndit in té ri us: cu jús-
que Corpus fá cris Stigmá ti bus
in signi vit ex té ri us, signo
cru ci fi xi Je su Chri sti Dó-
mi ni no stri, Per quem ma je-
stá tem tu am lau dant An ge-
li, a dó rant Do mi na ti-
ó nes, tre munt Po te stá-
tes Cæ li, cæ lo rúmque Vir-
tú tes, ac be á ta Sé ra-
phim, só ci a ex ul ta ti ó-
ne concé le brant. Cum qui-
bus & no stras vo ces, ut ad-

mít ti jú be as depre cá mur,
súp pli ci con fel si ó ne
di cén tes.

Communio. *Luc. 12.* Fidélis servus,
& prudens, quem constituit dominus
super familiam suam, ut det illis in
tempore tritici mensuram.

Postcommunio.
Ecclésiám tuam, quæsumus Dómine,
grátia cælestis amplifcet: quam
beáti Patris Francísci Confessóris tui
illumináre voluísti gloriósis méritis &
exémplis. Per Dóminum.

Infra Octavam dicitur eadem Missa,
cum commemor. Festi simplicis oc-
currentis, & tertia Oratio erit de S.
Maria, Concéde, nisi faciendá sit alia
commemor. alterius Festi simplicis, ea-
dem die occurrentis. In Festis verò du-
plicibus & semiduplicibus infra Octa-
vam occurrentibus, nisi sint de majori-
bus, fit commemor. Octavæ.

**Quando de S. P. Francisco fit Offi-
cium per Annum, ac etiam in Missis
votivis, dicitur eadem Missa, excepto
Introitu, qui dicitur, ut sequitur.**

Introitus. *Gal. 6.*
Mihi autem absit gloriári,
nisi in Cruce Dómini no-
stri Jesu Christi: per quem
mihi mundus crucifixus
est, & ego mundo.

Psalm. 141. Voce mea ad
Dóminum clamávi: voce mea ad Dó-
minum deprecátus sum.

Glória Patri, &c.
Secunda, & tertia Oratio conveniens
tempori, ut dictum est in Festo san-
cti Antonii.

Non dicitur Credo.

Die

Die xi. Octobris.

**IN OCTAVA SERAPHICI
P. S. Francisci.**

**Missa dicitur, ut supra in ejus die
Natali.**

Die xii. Octobris.

**IN FESTO B. SERAPHINI
Confessoris.**

**Missa, Justus de Comuni Confesso-
ris non Pontificis secundo loco.
Non dicitur Credo.**

Die xiii. Octobris.

**IN FESTO SS. DANIELIS
& Sociorum Martyrum.**

Introitus. Eccli. 44.



Apiéntiam Sanctórum nar-
rent pópuli: & laudes eó-
rum nuntiet Ecclésia: nó-
mina autem eórum vivent
in sæculum sæculi.

Psalm. 32. Exultáte justi in

Dómino: rectos decet collaudátio.

Glória Patri, &c. Oratio.

Fraterna nos, Dómine, Mátyrum
tuórum coróna lætifcet: quæ & fi-
dei nostræ præbeat incrementa virtú-
tum, & multiplici nos suffragio con-
solétur. Per Dóminum.

**Lectio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli
ad Corínthios. 1. Cor. 6.**

Fratres, Exhibeamus nosmetipfos
sicut Dei ministros, in multa pati-
entia, in tribulatióibus, in necessitatibus,
in angústis, in plagis, in carceribus, in
seditiõibus, in laboribus, in vigiliis,
in jejuniis, in castitate, in sciéntia, in
longanimitate, in suavitate, in Spíritu
sancto, in charitate non ficta, in verbo
veritatis, in virtute Dei, per arma justí-
tiæ à dextris, & à sinistris; per glóriam,
& ignobilitatem; per infámiam, & bo-
nam famam: ut seductóres, & veraces;
sicut qui ignóti, & cõgniti: quasi mo-
rientes, & ecce vivimus: ut castigati,
& non mortificati: quasi tristes, semper
autem gaudentes: sicut egentes, mul-
tos autem locupletantes: tamquam nihil
habentes, & ómnia possidentes.

Missa SS. Ord. Conv.

Graduale. Psalm. 33. Clamaverunt justí,
& Dóminus exaudivit eos: & ex ómni-
bus tribulatiõibus eórum liberávit eos.
Ps. Juxtá est Dóminus his, qui tribuláto
sunt corde: & húmiles spíritu salvábit.
Allelúja, allelúja. **Ps.** Hæc est vera
fraternitas, quæ vicit mundi crimina:
Christum secúta est, ínclýta tenens
regna cælestia. Allelúja.

**Sequéntia sancti Evangelii secún-
dum Lucam. Lucæ 6.**

In illo tempore: Descendens Jesus de
monte, stetit in loco campéstri, &
turba discipulórum ejus, & multítu-
do copiõsa plebis ab omni Judæa, & Jeru-
salem, & marítima, & Tyri, & Sidónis,
qui vénerant ut audirent eum, & sana-
rentur à languóribus suis. Et qui vexa-
bantur à spíritibus immúndis, curabán-
tur. Et omnis turba quærebat eum tán-
gere: quia virtus de illo exibat, & saná-
bat omnes. Et ipse elevátis óculis in di-
scípulos suos, dicebat: Beáti páuperes:
quia vestrum est regnum Dei. Beáti, qui
nunc esuritis: quia saturabimini. Beáti,
qui nunc fletis: quia ridébitis. Beáti éri-
tis cum vos óderint hómines, & cum se-
paráverint vos, & exprobráverint, &
ejécerint nomen vestrum tamquam ma-
lum, propter filium hóminis. Gaudéte
in illa die, & exultáte: ecce enim mer-
ces vestra multa est in cælo. **Credo.**

Offertorium. Psalm. 149. Exultábunt
sancti in glória, lætabúntur in cubili-
bus suis: exultatiõnes Dei in saucibus
eórum, allelúja.

Secreta.

Mysteria tua, Dómine, pro san-
ctórum Mátyrum tuórum com-
memoratiõne devóta mente tractémus:
quibus nobis & præsidium crescat, &
gáudium. Per Dóminum.

Communio. Matth. 10. Quod dico
vobis in ténebris, dicite in lumine,
dicit Dóminus: & quod in auro au-
ditis, prædicáte super tecta.

Postcommunio.

Præsta, quæsumus omnipotens De-
us: ut quorum memóriam sacramenti

D parti-

participatiōe recōlimus, fidem quoque proficiēdo sectēmur. Per Dōminum.

Die xvi. Octobris.

IN FESTO SS. COSMÆ & Damiani Martyrum.

Missā, ut in Missali Romano die 27. Septembris.

Die xix. Octobris.

IN FESTO SANCTI PETRI de Alcantara Confessoris.

Introitus. Psalm. 91.



Ustus ut palma florēbit, sicut cedrus Libani multiplicābitur: plantātus in domo Dōmini, in ātriis domus Dei nostri.

Psalm. ibid. Bonum est confitēri Dōmino: & psāllere nōmini tuo, Altissime. Gloria Patri, &c.

Oratio.

Deus, qui beatū Petrum Confessorē tuum admirābilis pœnitentiæ & altissimæ contemplatiōnis mūnere illustrāre dignātus es: concede propitius; ut ejus suffragātibz meritis, carne mortificāti, cœlestium donōrum participes fieri mereāmur. Per Dōminum.

Lectio Epistolæ beāti Pauli Apōstoli ad Philippēses. Philip. 3. b

Fratres: Quæ mihi fuerunt lucra, hæc arbitrātus sum propter Christum detrimēta. Verūtamēn existimo omnia detrimētum esse propter eminentem sciētiā Jesu Christi Dōmini mei: propter quem omnia detrimētum feci, & arbitror ut stercora, ut Christum sacrificāciam, & invēniar in illo, non habens meam justitiā, quæ ex lege est, sed illam, quæ ex fide est. Christi Jesu: quæ ex Deo est justitiā in fide, ad cognoscēdum illum, & virtutem resurrectiōnis ejus, & societatem passiōnum illius: configurātus morti ejus: si quo modo occurrā ad resurrectiōnem, quæ est ex mortuis: non quod jam accēperim, aut jam perfectus sim: sequor autem, si quo modo comprehendam, in quo & comprehensus sum à Christo Jesu.

Graduale. Psal. 36. Os justī meditābitur sapiētiā, & lingua ejus loquetur judiciū. Lex Dei ejus in corde ipsius: & non supplantābuntur gressus ejus.

Allelūja, allelūja. Gal. 2. Christo confixus sum cruci: vivo autem ego, jam non ego, vivit verò in me Christus. Allelūja.

Sequētia sancti Evangelii secundū Lucam. Lucæ 12. d

In illo tēpore: Dixit Jesus discipulis suis: Nolite timere pusillus grex, quia complācuit Patri vestro dare vobis regnum. Vendite quæ possidētis, & date elemōsynam. Facite vobis sacculos, qui non veterāscunt, thesaurum non deficientem in cœlis: quod fur non appropriat, neque tinea corrumpit. Ubi enim thesaurus vester est, ibi & cor vestrum erit. Credo.

Offertorium. Psalm. 20. In virtute tua Dōmine lætābitur justus, & super salutare tuum exultābit vehementer: desiderium animæ ejus tribuisti ei. Secreta.

Orationem nostram, quæsumus Dōmine, sancti Petri meritis placātus assūme: quam dum in carne viveret, purissimis manibus contrectāvit, & obtulit. Per Dōminum.

Communio. Matth. 10. Amen dico vobis, quod vos, qui reliquistis omnia, & secuti estis me, centuplum accipietis, & vitam æternam possidebitis.

Postcommunio.

Præsta quæsumus, omnipotens Deus: ut beāti Petri Confessoris tui semper facta sectantes, fructum quem de cœlesti hoc alimēto percipit, ipsi quoque percipere mereāmur. Per Dōminum.

Die xx. Octobris.

IN FESTO S. WENCESLAI Martyris.

Missā, ut in Missali Romano die 28. Septembris.

Die xxi. Octobris.

IN FESTO S. EDUARDI REGIS Confessoris.

Missā, ut in Missali Romano die 13. Octo-

Octobris, cum commemor. S. Hilariōnis Abbatis, ac SS. Ursulæ & Sociarum Virg. & Martyr. ut ibidem hac die.

Die xxi. Octobris.

Pro Ecclesiis Monialium sanctæ Claræ tantū.

IN FESTO SS. URSULÆ & Soc. Virginum & Martyr.

Missā, Loquēbar. de Comuni Virg. & Mart. Oratio, Da nobis quæsumus. Epistola, De Virginitibus. Secreta, Intēde, quæsumus. Postcōmunio, Præsta nobis, &c. ut in Cōi. Et fit commemor. S. Hilariōnis Abbatis, ut in Missali.

Die xxii. Octobris.

IN FESTO B. LADISLAI de Gielniowv Confessoris.

Missā, Justus ut palma. de Comuni Confess. non Pontif. secundo loco, præter Orationem sequentem. Oratio.

Deus, qui beatū Ladislāum religiōsa perfectiōne voluisti omnibus prælucere: concede propitius; ut ejus exēplo in virtutibus jūgiter proficiāmus. Per Dōminum nostrum.

Non dicitur Credo.

Die xxiii. Octobris.

IN FESTO S. JOANNIS à Capistrano Confessoris.

Missā, Os justī. de Cōi Confessor. non Pontif. i loco. Et non dicitur Credo.

Die xxiv. Octobris.

IN FESTO S. RAPHAELIS Archangeli.

Missā, Benedicite. ut in fine Missalis Romani. Graduale dicitur, ut ibidem assignatur extra tempus Paschale. In Introitu, & Communionē omittuntur omnia Allelūja.

Die xxv. Octobris.

Pro Ecclesiis Monialium sanctæ Claræ tantū.

IN FESTO S. EDUARDI Confessoris.

Missā, Os justī. ut in Missali Romano

sub die 13. hujus Mensis; Et fit cōmem SS. Chrysanthi & Dariæ Martyr. ut in prædicto Missali sub die 25. Non dicitur Credo.

FESTA NOVEMBRIS.

Die iv. Novembris.

In Missa S. Caroli Episc. & Confess. post commemor. Octavæ Omnium Sanctorum, faciēda est commemoratiō de B. Helena Enselmina Virgine Patavina, Ordinis S. Francisci, Oratio. Exaudi nos Deus, &c. cum Secreta & Postcōmunionē ex Missa, Dilexisti. de Comuni Virginum.

Postea fit commemor. SS. Vitalis & Agricolæ Martyrum, ut in Missali.

Dominica secunda Novembris.

IN FESTO PATROCINII B. Mariæ Virginis.

Missā, ut in festo S. Mariæ ad Nives die 5. Augusti. cum commemor. Dominicæ occurr. & ejus Evangelio in fine.

Die xiii. Novembris.

IN FESTO SANCTI DIDACI Confessoris. Introitus. Psalm. 91.



Ustus ut palma florēbit, sicut cedrus Libani multiplicābitur: plantātus in domo Dōmini, in ātriis domus Dei nostri.

Psalm. ibid. Bonum est confitēri Dōmino: & psāllere nōmini tuo, Altissime. Gloria Patri, &c. Oratio.

Omnipotens sempiternē Deus, qui dispositiōe mirābili infirma mundi eligis, ut fortia quæque confundas: concede propitius humilitāti nostræ; ut piis beāti Didaci Confessoris tui præcibus ad perennem cœlis gloriā sublimāri mereāmur. Per Dōminum.

Lectio Epistolæ beāti Pauli Apōstoli ad Corinthios. 1. Cor. 1.

Fratres: Videte vocatiōnem vestram, quia non multi sapiētes secundū carnem, non multi potētes, non multi nōbiles: sed quæ stulta sunt mundi, elegit

elégit Deus, ut confundat sapiéntes: & infirma mundi elégit Deus, ut confundat fórtia: & ignobília mundi, & contemptibília elégit Deus, & ea quæ non sunt, ut ea quæ sunt, destrúeret: ut non gloriétur omnis caro in conspéctu ejus. Ex ipso autem vos estis in Christo Jesu: qui factus est nobis sapiéntia à Deo, & justitia, & sanctificatio, & redemptio: ut quem admodum scriptum est: Qui gloriátur, in Dómino gloriétur. Et ego cum venissem ad vos, fratres, veni non in sublimitate sermónis, aut sapiéntiæ, annúntians vobis testimónium Christi. Non enim judicavi me scire aliquid inter vos, nisi Jesum Christum, & hunc crucifixum.

Graduale. Psalm. 20. Dómine prævénisti eum in benedictiónibus dulcedinis: posuisti in cápite ejus coronam de lapide pretioso. *V.* Vitam petiit à te, & tribuisti ei longitudinem dierum in sæculum sæculi. *Allelúja, allelúja.*

V. Psal. 91. Justus ut palma florébit: sicut cedrus Libani multiplicábitur. *Allelúja.*

Sequentia sancti Evangelii secundum Matthæum. Matth. 13.

In illo tempore: Accesserunt discipuli ad Jesum, dicentes: Quis, putas, major est in regno cælorum? Et advocans Jesus pàrvulum, statuit eum in medio eorum, & dixit: Amen dico vobis, nisi conversi fueritis, & efficiamini sicut pàrvuli, non intrábitis in regnum cælorum. Quicumque ergo humiliaverit se sicut pàrvulus iste, hic est major in regno cælorum. Et qui susceperit unum pàrvulum talem in nómine meo, me suscipit. Qui autem scandalizaverit unum de pusillis istis, qui in me credunt, expedit ei, ut suspendátur mola asinaria in collo ejus, & demergátur in profundum maris.

Non dicitur Credo.

Offertorium. Psalm. 20. In virtute tua Dómine lætábitur iustus, & super salutáre tuum exultábit vehementer: desiderium animæ ejus tribuisti ei.

Secreta.

Hæc hostia, quæsumus Dómine, quam sancti Didaci Confessóris

tui solemnitate offerimus: ipso etiam intercedente, & vincula nostræ pravitatis absolvat, & tuæ nobis misericordiæ dona conciliet. Per Dóminum.

Communio. Matth. 19. Amen dico vobis, quod vos, qui reliquistis omnia, & secuti estis me, centuplum accipietis, & vitam æternam possidebitis.

Postcommunio.

Deus, qui familiam tuam his sacrificiis purgáram beati Didaci Confessóris tui celebritate lætificas: concede, quæsumus; ut ejus humilitatis & paciéntiæ imitétur vestigia, & ad gaudia perveniat sempiterna. Per Dóminum.

Die xvi. Novembris.

IN FESTO S. AGNETIS

Virginis Assisienfis germanæ Sororis sanctæ Claræ.

Missa, Dilexisti. de Comuni Virg. non Mart. Non dicitur Credo.

Die xvii. Novembris.

IN FESTO B. SALOMEÆ

Virginis.

Missa, Dilexisti. de Cõi Virg. præter Orationem sequentem. Oratio.

Deus, qui in beata Salomea terreni regni contemptum cum virginitatis candore in connubio sociasti: concede nobis, quæsumus; ut ejus exemplo, tibi casto & humili corde serviéntes, immarcescibilem coronam gloriæ in cælis consequi mereámur. Per Dóminum nostrum.


Non dicitur Credo.

Die xix. Novembris.

IN FESTO S. ELISABETH

Filiæ Hungariæ Regis, Viduæ.

Introitus. Psalm. 118.



Ognóvi Dómine, quia æquitas júdicia tua, & in veritate tua humiliásti me: confige timóre tuo carnes meas, à mandátis tuis timui. *Psalmus ibid.* Beati

immaculáti in via: qui ambulánt in lege Dómini. *V. Glória Patri, &c.*

Ora-

Oratio.

Tuorum corda fidélium Deus miserátor illústra: & beatæ Elisabeth præcibus gloriósis fac nos próspere mundi despícere, & cælesti semper consolatióne gaudere. Per Dóminum.

Et sit commemor. S. Pontiani Papæ & Mart. Oratio. Infirmítatem. ut in Comuni unius Martyr. Pontif.

Lectio Epístolæ beati Pauli Apóstoli ad Timótheum. 1. Tim. 5.

Charissime, Víduas honóra, quæ verè víduæ sunt. Si qua autem vídua filios, aut nepótes habet: discat primùm domum suam régere, & mutuam vicem réddere paréntibus: hoc enim accéptum est coram Deo. Quæ autem verè vídua est, & desoláta, speret in Deum, & instet obsecratióibus & oratióibus nocte ac die. Nam quæ in deliciis est, vivens mórtua est. Et hoc præcipe, ut irreprensibiles sint.

Si quis autem suorum, & máximè domesticorum curam non habet, fidem negávit, & est infidéli detérior. Vídua eligátur non minús sexaginta annórum, quæ fuerit unius viri uxor, in opéribus bonis testimónium habens, si filios educávit, si hospítio recepit, si sanctórum pedes ministrávit, si omne opus bonum subsecúta est.

Graduale. Psalm. 44. Diffúsa est grátia in lábiis tuis, própterea benedixit te Deus in ætérnum.

V. Propter veritátem, & mansuetúdinem, & justítiam, & dedúcet te mirabiliter dextera tua. *Allelúja, allelúja.*

V. Spécie tua & pulchritúdone tua inténde, próspere procéde, & regna. *Allelúja.*



Sequentia sancti Evangelii secundum Matthæum. Matth. 13.

In illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis parábolam hanc: Simile est regnum cælorum thesauro abscondito in agro: quem qui invenit homo, abscondit, & præ gáudio illius vadit, & vendit univérsa quæ habet, & emit agrum illum. Iterum simile est regnum cælorum

hómni negotiátóri quærénti bonas margaritas. Inventa autem una pretiosa margarita, abiit, & vendidit omnia quæ habuit, & emit eam. Iterum simile est regnum cælorum sagénæ missæ in mare, & ex omni genere piscium congregánti. Quam, cum impléta esset, educéntes, & secus littus sedéntes, elegerunt bonos in vasa, malos autem foras miserunt. Sic erit in consummatione sæculi: exhibunt Angeli, & separábunt malos de medio justórum, & mittent eos in caminum ignis: ibi erit fletus, & stridor dentium. Intellexistis hæc omnia? Dicunt ei: Etiam. Ait illis: Ideo omnis scriba doctus in regno cælorum, similis est hómni patrifamílias, qui profert de thesauro suo nova & vétera. *Sine Credo.*

Offertorium. Psalm. 44. Diffúsa est grátia in lábiis tuis, própterea benedixit te Deus in ætérnum, & in sæculum sæculi.

Secreta.

Munera, Dómine, nostræ devotiónis offerimus: ut tibi grata, & nobis salutária beatæ Elisabeth pia supplicatióne reddántur. Per Dóminum.

Communio. ibid. Dilexisti justítiam, & odisti iniquitátem: própterea unxit te Deus tuus oleo lætitiæ præ consórtibus tuis. *Postcommunio.*

Quos, Dómine, salutáribus dignátus es reparáre mystériis: beatæ Elisabeth, quæsumus, intercessióne cælestibus semper nútrias alimentis. Per Dóminum nostrum.

In Ecclesiis Monial. & Soror. Tertii Ordinis, hodie non fit commemor. S. Pontiani, sed die 20. hujus Mensis. (Ex Decr. Sac. Rit. Congreg. die 22. Januarii 1735.) Dicitur Credo. etiam per totam Oct. In Festis infra Oct. occurr. fit commemor. Oct. In die Octava dicitur Missa, sicut in Festo, cum commemor. S. Petri Episcopi & Martyris.

Die xxvi. Novembris.

IN FESTO B. DELPHINÆ

Virginis.

Missa, Dilexisti. de Comuni Virginum.

Ora-

Oratio.

DEus, qui beatam Delphinam inter cetera virtutum insignia virginali pudicitia in conjugio decorasti: concede propitius; ut cujus sollemnia celebramus in terris, ejus consortio perfruamur in caelis. Per Dominum nostrum Jesum Christum, &c.

Et sit commemor. S. Petri Episc. & Martyr. Oratio. Infirmi-
tatem nostram. ut in Communi unius Martyris Pontificis.

Evangel. Accesserunt ad Jesum Pharisaei. ut supra in Festo S. Elzearii 27.

Septembr. Non dicitur Credo. Reliqua ut in praedicta Missa, Dilexisti.

Die xxvi. Novembris.

In Ecclesiis Sororum & Monialium
Tertii Ordinis.

IN OCTAVA S. ELISABETH
Viduae.

Missae, Cognovi Domine. ut in Festo, cum commem. S. Petri Episc. & Mart. Et dicitur Credo.

Festum vero B. Delphinae Virg. celebratur sub die v. Decembris, cum commem. Feriae, ac S. Sabbae Abbatis.

PRO DEFUNCTIS

Seraphici Ordinis Minorum SANCTI FRANCISCI
Conventualium.

Die iii. Novembris.

IN COMMEMORATIONE SOLEMNI

Omnium Fratrum, Sororum, &
Benefactorum Nostri Ordinis
Defunctorum.

Dicitur Missa, Requiem aeternam.
quae in Missali Romano est prima pro
Defunctis, exceptis Orationibus, quae
dicuntur, ut infra. Oratio.

DEus indulgentiarum Domine: da animabus fratrum, sororum, & benefactorum nostrorum, quorum anniversarium diem commemoramus, refrigerii sedem, quietis beatitudinem, & luminis claritatem. Per Dominum nostrum.

Secreta.

Propitiare, Domine, supplicationibus nostris pro animabus fratrum, sororum, & benefactorum nostrorum, pro quibus tibi offerimus sacrificium laudis: ut eas Sanctorum tuorum consortio sociare digneris. Per Dominum nostrum.

Postcommunio.

Praesta, quaesumus Domine, ut animae fratrum, sororum, & benefactorum nostrorum, quorum anniversarium diem commemoramus, his purgatae sacrificiis indulgentiam pariter & requiem capiant sempiternam. Per Dominum nostrum.

F I N I S.

FR. JOANNES BAPTISTA COLOMBINI.

Pedemontanus de Assisio, Artium & Sacrae Theologiae Doctor, totius Ordinis Minorum S. Francisci Conventualium post Seraphicum Patriarcham Minister Generalis LXXXVI.

Dilectis Nobis in Christo Dominis Typographiae Ballconianae
Impressoribus.



Um nuper a Nobis suppliciter efflagitaveritis, ut quam olim Reverendissimi Praedecessores Nostri auctoritate per Sedem Apostolicam ad hoc eis facta facultatem vobis concessere imprimendi Breviaria, Missalia, & Diurnalia ad usum Fratrum Minorum S. Francisci Conventualium, Monialium Sanctae Clarae, ac Tertii Ordinis utriusque Sexus, Nostri patentibus litteris confirmarem, iterumque impertirem, cum reimprimi a quoquam non possint, nisi facultate a Ministro Generali pro tempore existente singulis vicibus in scriptis prius obtenta; ideo praesentium virtute praedictam facultatem ad triennium duraturam vobis concedimus, & impertimur, imprimendi Breviaria, Missalia, & Diurnalia, in quibus Officia Sanctorum Ordinis Nostri suis in locis inter Officia Breviarii, Missalis, & Diurnalis Romani apte disponuntur. Omnes autem, & singulos Nostri Ordinis Seraphici Patriarchae S. Francisci Conventualium Fratres, & Sanctae Clarae Moniales, ac Religiosas Tertii Ordinis utriusque sexus Personas Nobis subjectas tam citra, quam ultra montes, & maria, universoque in orbe existentes salutaris obedientiae praecipio obstringimus; Moniales vero ejusdem Sanctae Clarae, ac Religiosas Tertii Ordinis utriusque sexus personas ubicumque, & sub quacumque cura degentes, juxta Sacrorum Rituum Congregationis Decreta, & Apostolicum Sanctissimi Domini Nostri Benedicti Papae XIV. diploma hortamur, enixaque rogamus, ut imposterum, relictis quibuscumque aliis, novissimis hisce Nostri Breviario, Missali, Martyrologio, Antiphonario, & Graduali, ea qua fieri potuit diligentia expurgatis, & auctis, cum primis eorumdem exemplaria habere poterunt, publice privateque utantur. In quorum fidem &c. Has dedimus Romae in Conventu Sanctorum XII. Apostolorum, Die 3. Julii 1756.

Fr. Joannes Baptista Colombini Minister Generalis Ordinis.

Loco  Sigilli.

Fr. Joseph Maria Donelli Secretarius & Assistens Generalis
Ordinis, ac Provincialis Angliae.

FR JOANNES BAPTISTA
C O L O M B I N I

[Faint, mostly illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.]

